
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXV
C
44
NAPOLI

V. C. 44

Digitized by Google



Digitized by Google

7

CAROLI DE AQUINO

Societatis Jesu

ADDITIONES AD LEXÌCON MILITARE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III. NAPOLI



ROMÆ
Ex Typographia Bernabò, MDCCXXVII.

Superiorum permiſſu.

Bibl. Novit. Neapolit. Soc. Jesu Catal. adscripty.

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpoſitus Generalis Societatis Jesu.

C*Um Librum, cui titulus: Additiones ad Lexicon Militare, à P. Carolo de Aquino, Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint; & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur; ſi iis, ad quos pertinet ita videbitur: cujus rei gratia, has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ* 8. *Maii* 1727.

Michael Angelus Tamburinus.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſc. Bojanen. Vicesg.

REVERENDISSIME PATER.

ADditiones ad Lexicon Militare eximii Scriptoris P.Caroli de Aquino Soc. JESU, utile ſimul, ac neceſſarium vaſtiſſimæ eruditionis complementum continent. Quapropter, cum Fidei puritati, ac morum honeſtati minimè officiat, Opus prælo digniſſimum cenſeo.

Romæ Kal. Jun.

Michael Joſeph Morei.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædicatorum Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

AD-

Digitized by Google

ADDITIONES AD LEXICON MILITARE.

ACropolis. Latinè urbis ſummitas, arx editior. *Rocca*.

Addextro, as. Eſt ad equi frenum, vel ſubicem pedaneum alicui inſervire, quod viris illuſtribus, Ducibus præſertim & Principibus honoris gratia fieri ſolet. Singulari autem modo Summis Pontificibus id genus obſequii a Regibus præſtitum. Titulus eſt coronationis Bonifacii VIII. a Jacobo Stephaneſco Cardinali deſcriptæ.

Qualiter Coronatus incedebat, & de Regibus Siciliæ & Hungariæ eum addextrantibus.

Itali eodem ſignificatu *Addeſtrare*. Vide teſtimonia in Tit. *Dextrarii equi*. Vide etiam *Dextro*.

Æmulatio. Præclarè Paterculus l. 1. *Alit æmulatio ingenia*. Calcar & cotem virtutis dixerim, niſi in utramque partem potens pollenſque ambitionem crearet, tyrannidem gigneret, dominandique impotentiæ uſque

ad regnorum excidia inſerviret. Cic. Tuſc. 4. *Dupliciter dicitur, ut in laude, & vitio nomen hoc ſit*. Plin. Paneg. *Nihil eſt tam pronum ad ſimultates, quam æmulatio*. Et paulo poſt: *Naſcitur ex conjunctione, alitur æqualitate, exardeſcit invidia, cujus finis eſt odium*. Addere poterat ex odio ad immenſi effuſionem ſanguinis, ad populorum exitia, ad regnorum everſiones ſæpe deventum. Vix inire quiſquam eorum numerum poſſit, qui ejuſmodi præpoſteræ æmulationis facibus inſtigati florentiſſimas urbes dedere peſſum. Nihil non audet, nihil non ambit cupidine præceps animus, quoties in concertatione honorum contingit, quod Demoſtheni in primatu eloquentiæ apud Petrarcham,

Dopo venia Demoſtene, che fuori
E' di ſperanza omai del primo loco,
Non ben contento de' ſecondi honori.

Idcirco Spartam duos Lyſandros, Athenas duos Alcibiades tolerare non poſſe dictum eſt. Regnum Thebanum omnium facilè vetuſtiſſimum, Etheoclis & Polynicis cruento diſſidio miſere concidit. Urbes Græciæ florentiſſimas præſtantium Ducum æmulatio in vaſtitatem dedit; ut neceſſe fuerit Athenienſibus ad ferreas Oſtraciſmi leges, omnis humanitatis expertes, decurrere; utque æmulandi ardorem tolleret, bellum indicere virtuti ſuorum & gloriæ. Ab extincto Alexandro relicti Duces Macedonicum, nec ita tenui ex parte Aſiaticum Imperium, tam-

tamquam deſpicatiſſimum malefici latronis cadaver, in fruſta diſtraxerunt, & immodice quæſita a ſingulis dominatio omnibus periit. Vis eadem fatalis exterorum armis illibatam Romanæ Reipublicæ libertatem rapuit ad interitum; quam nimirum Sillanis Marianiſque contentionibus concuſſam, Cæſaris & Pompei ſeditioſo ambitu labefactatam, Octavii poſtremo, Lepidi, Antonii, navali funeſtiſſimoque conflictu extinctam, ultores Actiaci maris gurgites ſubmerſerunt. Poſt hæc exempla, Ducum privatorum diſſenſiones, æmulatione præclare factorum malo publico exortas, piget referre. Omitto diſcordiarum turbamenta, quæ inter Ageſilaum & Lyſandrum, Aratum Sicyonium, & Cleomenen, Titum Quintium Flaminium, & Philopamenen Megapolitanum, Scipionem & Quintum Fabium Maximum, Lucullum, & Cn. Pompejum in perniciem urbium maximarum ea de cauſa exarſerunt. Ut ſuum etiam faciam fabulis locum, Herculem accenſeo, quem, cum in oram Magneſiæ aquatum deſcendiſſet, Jaſon & ſocii dereliquerunt, cauſati quidem nimis ab eo prægravari navigium; ſed vere, quoniam Herois ſummi fortitudine ſuam gloriam obrumbari ſentiebant: ex quo inditum loco nomen, ut Aphetæ, ideſt dimiſſæ, in poſterum dicerentur. Vide Herodotum Polymn. A vitioſa æmulatione ad honeſtam, & omnium bonarum artium altri-

cem progredior. Appello Chronologorum fidem, & omnium nationum Hiſtoricos, apud quos quædam occurrunt ſpatia temporum, viris in qualibet ingenua facultate conſpicuis ubertim referta, & redundantia; quibus contra ætates alias, quaſi deſertas & ſolitarias regiones, vacare contingit atque deſtitui. Id uſuvenire percipimus, propterea quod ubi primum cujuſpiam virtus præ cæteris ſpectanda eminet, continuo magna præſtantes indole exciti alii, tamquam ad ſtadium decurrendum contendunt. Haud ſane admodum ampla temporis intercapedine disjuncti prodiere Duces eximii Cimon, Miltiades, Themiſtocles, Alcibiades, Eumenes, Epaminondas, aliique, qui Græciæ militarem gloriam mirifice extulerunt. Poſt Alexandrum Macedonem conticeſcunt de Græcorum laudibus ætates aliæ; vix ullo ſignum ad æmulationem bellicam extollente. A parta libertate ad Auguſti interitum tot tamque præclaris Imperatoribus effloruit Roma, ut ejus laudis nomine nationum omnium gloriæ ſplendidam quandam caliginem induxerit. Relanguent paulatim poſtea Annales Latii, & longiore progreſſu priſca virtus illa militaris prorſus conſenuit. Utque aliquid in tranſcurſu de bellica Majorum noſtrorum laude delibem, ignarum eſse neminem puto innumeros ſummæque præſtantiæ Duces ex univerſis Europæ regionibus prodiiſse; ubi primum Carolum V.

Cæ-

Cæſarem, & Franciſcum I. Galliæ Regem gloriæ thyrſus altius tetigit, & ad æmulationem incendit. Eodem fato Literas agi perſuaſum habeo. Græciæ, Latiique Scriptores veteres, Philoſophos, Oratores, Poetas, tum denique aliarum artium ingenuarum Cultores, Pictores præſertim, atque Sculptores expende. Quemadmodum ætates aliquot ſingulari eorum affluentia ditatas videris, ſic de interjectis aliis Literatorum memoriæ aut parcius meminere, aut penitus obmuteſcunt. Ut enim ventis depræliantibus in aliquam Cœli partem nubes adſtrictæ coguntur, reliquis nullo velamine obductis, ita præſtantia ingenia in certos temporum tractus colligi ſolent; ubi nimirum obſecundantes virtuti ſpirant faventque æmulationis auræ felices. Quamobrem nihil mireris Scipionis effatum, qui conſpectis Majorum ſuorum imaginibus, vehementer inflammari ſe prædicabat ad eorum magnis in patriam promeritis premenda veſtigia. Huc referas Themiſtoclis noctes inſomnes, animumque in Trophæa Miltiadis cum aſſidua corporis agitatione defixum. Ego certe non pluris facio victorias Alexandri, quam lacrimas, quas ad Achillis tumulum large profudit, quod Heros ille laudum ſuarum præconem Homerum ſortitus fuerit: Petrarcha:

Giunto Aleſſandro alla famoſa tomba
Del fero Achille, ſoſpirando, diſſe;

O for-

O fortunato, che sì chiara tromba
Sortiſti, e chi di te tant' alto ſcriſſe.

Nec vero minoris fecerim lacrimas Thucididis, qui cum Herodoto Olympiæ recitanti Hiſtorias ſuas adeſset, tanta dicendi facultate captus, nec imparis acquirendæ gloriæ ſtimulis percitus, lacrimaſse fertur apud Plutarchum. Fugias proinde obſtupeſcere, aut Herculem Bacchi æmulatione incitatum ab ortu ad occaſum orbem terrarum peragraſse, aut Theſeum Herculis imitatione ad monſtra conficienda provocatum. Quidni vero iſthæc mirari deſinamus, cum feras ipſas, & bruta uſu rationis expertia, æmulationis vim perſentiſcere prope cernamus? Ovid. 3. de Art.

Tunc bene fortis equus reſerato carcere currit,
Cum quos prætereat, quoſque ſequatur, habet,

Albaniæ Rex Alexandro Magno Indiam petenti canem inuſitatæ magnitudinis dono dedit. Experimentum ejus virtutis facturus Alexander, urſos in eum, apros, & damas emiſit. Hæſit nihil commotus in veſtigio canis: Alexander ſegnitiem interpetratus interimi belluam juſſit. Id poſtquam Rex reſcivit, alterum mittens, ut verbis Plinii utar, *Addidit mandata, ne in parvis experiri vellet, ſed in leone, elephantove: duos ſibi fuiſſe: hoc interempto, præterea neminem fore*. Obtemperans monitis Alexander in leone & elephanto periculum fecit, magnopere demiratus belluæ dexteritatem, utra-

utraque immani fera proſtrata, atque confecta. Ab ejuſmodi cane Alexandrum didiciſſe dicerem reſponſum, quod ad curſum provocanti reddidit, *Da Reges æmulos, & curram*; niſi ſcirem ex Plutarcho, cum puer inter pueros ageret, eo reſponſo uſum fuiſſe Regem. Ejuſdem ſententiæ illa ſunt, quæ acerbè jactantur ab Ajace apud Ovid. Met. l.13.

Præmia magna peti fateor, ſed demit honorem
Æmulus Ajaci; non eſt tenuiſſe ſuperbum,
Sit licet hoc ingens, quidquid ſperavit Ulyſſes.

Hactenus de vitioſa æmulatione vitanda, de honeſta ſectanda diſputavimus. Infert hic ſe medium Plutarchus Præc. Pol. & declinandam totis viribus æmulationem docet ex præſcriptione prudentiæ. Contingere interdum ſolet, duces Caduceatores vel quomodolibet adminiſtros, ad expeditionem bellicam, vel negotia pertractanda, cooptandum ſibi ſocium quærere. In hujus generis eventu multiplici non deligendi ſunt ſocii, qui iiſdem virtutibus ſint conſpicui, ſed qui in diverſo genere laudis præcellunt, ne orta inter ſimiles æmulatio, diſſidia pariat, quæ corrumpunt frequenter; aut remorantur facinorum felices eventus. Opitulari nempe ſibi Reique publicæ commodiùs poterit, qui, quod ſibi deeſt, in altero nanciſcatur. Ad hunc modum Diomedes non virum fortem ſui ſimilem, ſed Ulyſſem adlegit, ſolertia facundiaque ſpectabilem.

Ni-

Nihil autem facilius factu eſt, quam ut honeſtè decorèque primum habita æmulatio in invidentiam livoremque deſciſcat. Licet enim illa virtus non ſit, incitabulum tamen eſt, fomeſque virtutis. Quò magis cavendum ne in malevolentiam & offenſionem abeat ornamentum illud viri ingenui & liberalis. Excelſæ indolis atque magnanimæ eſt ſui ſimiles complecti, exornare laudibus, honoribus exaggerare. Pollux, cum Deus renunciari potuiſſet, maluit, ut ſcribit Plutarchus, fieri Semideus, & conditionis humanæ vices ſubire, ut cum fratre Caſtore æquaretur. Ad hanc formam non ſordeſcet æmulatio alienæ gloriæ moleſta vel metu ad pudendos invidiæ morſus abjecta, atque demiſſa, ſed indejecta faſtigio ſuo viris ad ſumma natis vires ſuggeret ad laborioſum virtutis callem ſtrenuè arripiendum.

Agonizatorium. Sumitur ævo barbaro pro rixa. Charta Dodanæ manualis. *Nec me damnent, vel reprehendant, quod ſim temera in tali ſubintrare Agonizatorio.*

Alcedonea; Aliis Halcyonia. Pars hiberni temporis, cum Alcedo avis ova parit; qui dies ſummæ tranquillitatis eſſe perhibentur. Plaut. Caſin. *Tranquillum eſt: Alcedonia ſunt circa forum.* Uſurpatur eleganter hæc vox, ubi ſermo habetur de pace. Utinam feliciſſima hæc nobis Alcedonia contingant.

Alectoria. Gemma, quam inveniri ajunt in galli gallinacei ventriculo, haberique tamquam

quam pignus ſecuritatis adverſus hoſtium ictus in prælio. Plin. l.37. c.10. *Alectorias vocant in ventriculis gallinaceorum inventas, chriſtallina ſpecie, magnitudine fabæ, quibus Milonem Crotonienſem uſum, in certaminibus invictum fuiſſe videri volunt*. Sed ne volam quidem hujus gemmæ tibi licebit inſpicere, etiamſi gallinaceorum myriades exenteraveris.

ANGULUS. Apud Geometras conſtat duabus lineis, quæ in idem punctum deſinunt. Dicitur ab angendo, quoniam quod angitur, cruciatur, vel commovetur, videtur quodammodo adſtringi, & arctius fieri, quod eſt proprium anguli Virg. 10.

Atque animum patriæ ſtrinxit pietatis imago.

Idem clarius l.8.

Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentē
Corripit in nodum cōplexus, & angit inhærens
Eliſos oculos.

Appende Statium lib.4. Theb.

rabidi cum colla minantia monſtri
Angeret, & tumidos animā anguſtaret in artus.

Eodem idiotiſmo utuntur Itali: Joannes Villani l.12. *E queſto ci diede gran difetto, e più volte grande ſtretta, e paurà*. Familiare eſt vocabulum in acie militari, quam ſæpe in angulum diſponi vox ipſa demonſtrat. Acies enim ab acu dicitur, quoniam ſæpe in acumen conſtricta deſinit. Locum præterea habet in caſtrametatione, cujus quadrata ſtructura, & in angulos diſpertita com-

commodior agnoſcitur. Sed præcipuo quodam modo vim habet in deſignatione propugnaculorum. Valli, ſeù propugnaculi exteriorem prominentem cuſpidem angulum appellamus, qui roſtri nomine indicari etiam ſolet. Valli angulus interior centrum eſt propugnaculi. Conſiderat præterea recens ars munitoria angulos ſalientes, & recedentes. Salientes vocant ad extimam ſuperficiem exporrectos, recedentes qui interiores adſtruuntur. Apud Neotericos Machinarios ſic munita cernimus propugnacula, ut poſt roſtrum valli per interjectas ſectiones addantur ſeriatim alia roſtella, quorum lineæ ſalientes probe munitæ ſint, recedentes abſciſſæ relinquantur. Id recens inventum nominant propugnaculum adapertis angulis communitum. Uſus & commodi ratio eſt, ut oppugnatores diutius, & cum majori ſuorum clade defatigentur. Hujuſmodi tamen reſciſſionibus & foſſis interpoſitis neceſse eſt aream vehementer adſtringi, ut ſæpe accidat obſeſſores univerſa munitione expugnata, non tam urbe, quam lapidum acervis potiri.

Apolecti. Delecti. Liv.l.36. *In Concilio Delectorum, quos Apolectos vocant.*

Ara, æ. Pro monumento victoriæ. Vide Trophæum. *6.*

Aræna, æ. Pro loco ubi dimicatur Poetæ præſertim uſurpant. Amphitheatrum, ubi gladiatores certabant, arenam vocat Horatius Epiſt l.1.1. *Ne*

Ne populum extrema toties exoret arena.
Prodire in arenam, arenam deſerere, arenam Martis locum pugnæ dicimus.

ARMENIACA. Prima Armeniaca, & ſecunda Armeniaca legiones fuerunt Pſeudocomitatenſes, merentes ſub Magiſtro militum per Orientem. De ſecunda Armeniaca meminit Ammianus l.20. Utriuſque inſignia adducit Pancirolus c.49.

ARMIGERI Gallicani. Equeſtris vexillatio Palatina. Utrum a gallica, quod calceamenti genus eſt, vel à Gallis nomen invenerit, non ſatis conſtat. Capita & pectora tegumentis chalybeis obarmati militabant. Hinc Armigerorum appellatio. Merebant ſub Duce Scythiæ & Maſiæ ſecundæ. Pancirol. Not. Imp. Or. c.33.

ARTEMON. Adde in fine. Non ignoro Alexandrum ab Alex. l.1. c.26. tradere Artemonem non eſſe navis partem, ſed throchleam, vel potius organum tractorium, quo onera ex navibus ductu facili exportantur, vel importantur. Ex adducto Vitruvii loco nemo dubitabit Artemonem eſſe genus throcleæ; ſed eodem vocabulo deſignari velum navis non uno oſtenditur argumento. Nam & alicubi in Italia id nomen habet velum nauticum, & ſic exponitur ab Academicis a furfure: poſtremo Dantis locus adductus apertè velum notat, tum quoniam *Artemone* conjungit cum velo majori *Terzarvolo*, tum propterea quod *Rintoppare* eſt re-

ſar-

ſarcire, quod nullo modo congruit throcleæ. Adde locum Areoſti perſpicuum.

Di cui per men travaglio havea 'l padrone
Fatto l'arbor tagliar dell'Artimone.

Quo minus cauſæ eſt, quamobrem ambigam Artemonis nomine duo ſignificari, genus throcleæ, & navis velum anguſtius. Refert idem Alexander Artemonem nonnullis eſſe navis gubernaculum; ſed hi cum ſuo gubernaculo, ut cum Lucretio loquar *largiter errant*.

Arrogantia. Vide *Superbia*.

Ascitæ. Vide ſequentem titulum.

Assasini. Adde. Ex his habes Senem Montanum, aliter Vetulum de Montanis appellatum, geſſiſſe principatum regium, & illuſtrem fuiſse bellatorem. Adjice Prophetæ etiam loco habitum, & nequitia ſua atque verſutiis ad obedientiam eos adegiſse populos, quadam illis voluptuoſa immortalitate propoſita. Vill. Tyrius l.20. c.31. *Fertur eſſe in Oriente gens ſub ditione cujuſdam potentis Saraceni, quem Senem nominant, genus quoddam hominum adeo ſeductibile, & in propiam proclive perniciem, ut ab eodem, quem ſcilicet loco Prophetæ colunt artificioſiſſimis fallacium pollicitationum præſtigiis ſolicitatum, atque illectum, immortalia ſe poſt mortem commoda capturos exiſtiment, ſi illi imperanti uſque ad mortem obtemperent.* Quominus demiror eundem Senem magiſtrum quoque à ſuis & vitæ inſtitutorem fuiſse habi-

bi-

bitum. Idem Villelmus ibidem. *Hi non hæreditaria ſucceſſione, ſed meritorum prærogativa magiſtrum ſibi ſolent præficere, & eligere præceptorem, quem ſpretis aliis dignitatum nominibus Senem vocant.* Quæ verba duo inſuper nos addocent ad abſolutam & integram Senis Montani intelligentiam. Primum ſuffragiis popularibus eum Regem renunciari ſolitum, minime vero hæreditario jure imperium capeſsere. Alterum eam appellationem non ad unum tantummodo ejus regionis Regem pertinuiſse, ſed ſeriem quandam extitiſse Senum Montanorum; licet factis illuſtribus is fere ſolum ab Hiſtoricis celebretur, qui, ut ſuperius memini, bello ſacro adverſus Occidentis copias militares & Duces Cruceſignatos decertavit.

ASYLUM. Non una vocis originatio ſolet afferri. Amplector cum Voſſio etymon ab *a* particula negante, & συλη, quod eſt ſpolium, quoniam eo confugientes ſpoliare non liceret. Locus erat tuti perfugii, & a præda immunis. Ab Hæbræis excitata aſyla, oppida nimirum in ſubſidium fugitivorum, leguntur in ſacris paginis. Heraclidas primos omnium in Græcia aſyla conſtituiſſe opinatur Alex. ab Alex. Genial. l.3. c.20. Cum enim Herculis poſteri timerent ſibi ab iis, quos idem Hercules afflixerat, Miſericordiæ templum dicarunt, ex quo nefas eſſet quempiam abduci. Non abſimilem per-

fugii locum Cadmus Thebis, Athenienſes intra civitatis muros, Romulus in luco urbi proximo condiderunt. Silvas alii, alii templa exiſtimarunt. Mihi Aſyla ſunt ſecuritatis loca, ſive illa aræ ſint, ſive templa, ſilvæ, vel urbes integræ. Pie ſancteque factum: ut nimirum ſua Religioni authoritas conſtaret, & reverentia. Sed ne honeſtę inſtituta perfugia in licentiam ſcelerum abirent mos erat apud Græcos, contumaces fame inibi necare, vel admoto igne compellere, ut Aſyla deſererent. Habemus id ex Euripide, apud quem Andromachæ aras tenenti Hermione minatur. *Ignem tibi admovebo.*

Aventura, æ. Decurſio equeſtris, Haſtiludium. Charta Henrici Regis Angliæ. *Conceſſimus ei de gratia noſtra ſpeciali, quod torneamenta aliqua, aventuræ, ſeù ejuſmodi haſtiludia non fiant de cætero.*

Aurum Coronarium. Dele locum Ciceronis, & reſtitue in hunc modum Cic. Rull. *Quod ad quemque pervenerit ex præda, ex manubiis, ex auro coronario.*

Authoritas. Adde. Quod ſi cauſas, quamobrem tantum ponderis habeat authoritas libet inſpicere, eam inprimis deprehendas, quoniam cuique non ſolum facile, verum etiam jucundum gratumque eſt inductionem animi propriam, ac ſententiam ſequi. Jam vero qui de quolibet Rectore, vel Duce opinionem commodam & eximiam ſemel

mel hauſit, de ſua idem perſuaſione in ſinu gaudet, eamque amplexus conatur felicem, quam maxime pro viribus poteſt, efficere. Eam ob cauſam ubi Superos auſpices haberi credimus, eo alacres promptique ferimur. Opportunè huc recidit Dionis Pruſæi animadverſio Orat. 25. ubi ſcribit non alios eſse urbium regnorumque Genios, quam Rectores ipſos, pro quorum vivendi ratione probe vel ſecus inſtituta populorum publicique ſtatus conſpicitur, felix vel calamitoſa conditio. Fauſta omnia tanquam a bono Genio ſibi pollicentur populi felici ſub Principe. Stat. Sil. 5.

Florebant hilares inconcuſſique Penates,
Nil mœſtum: quid enim quamvis infida leviſque,
Cæſare ſub dextro poſſet fortuna timeri?

Exadverſum ſi Princeps crudelis, aut alia nota eſt deterior, ſtatus rerum adverſus non ad alias triſtium eventuum cauſas, ſed ad ejus, tamquam ad malum Genium, vitia refertur. Audi Œdipum apud Senecam ſeipſum peſtilentiæ cauſam accuſantem; Sic enim Patriam alloquitur.

non gravi flatu tibi
Luctificus auſter, nec pluvio æthere
Satiata tellus habitu ſicco nocet;
Sed Rex cruentus.

In hanc ſententiam minimè prætereunda illa Mamertini ad Maximianum. *Veſtra hæc, Imperator, veſtra laus eſt; a vobis profi-*

ciſcitur & quod per alios adminiſtratur. Ut enim omnia commoda cœlo terraque parta, licet diverſorum Numinum ope nobis provenire videantur, a ſummis tamen authoribus manant, Jove Rectore Cœli, & Hercule pacatore Terrarum, ſic omnibus pulcherrimis rebus etiam quæ aliorum ductu geruntur, Diocletianus facit, tu tribuis effectum. Eo præterea quandoque deventum eſt, ut præcepta emolumenti ſpe fixaque animis inductione felicis exitus, etiam uſu rationis expertia pro ducibus haberentur. Caranus Teſte Juſtino l. 7. caprarum ducatum ſequutus ſedem in Macedonia regnumque conſtituit. Prienenſes, Authore Valerio Max. l. 1. c. 5. claſſem in præſidium implorantes a Samiis, cum cymbulam per deriſionem accepiſſent, eadem uſi victoria potiti ſunt. Æneas columbas duces habuit in Eliſyum. Virg. 6.

Eſte duces ob, ſi qua via eſt, curſumque per auras
Dirigite in lucum.

Quo minus admirari ſubit Ptolemæi conſilium apud Curtium l. 10. & Eumenis apud Diodor. Sic. Bibl. l. 18. cum duces ſocios hortaretur, ut ad ſedem & ornamenta regia extincti Alexandri cogeretur Senatus bellicus, & conſilia caperentur. Vide *Felicitas Imperatoris.*

Auxilia. Adde: Auxilia Palatina utriuſque Imperii per diverſas provincias diſperſa, quoniam magno ſunt numero, clariora quidem

dem retulimus ſuis in locis: reliqua vide digeſta apud Pancirolum, & Valerianum. De nominibus Auxiliorum ſingillatim vide quæ diximus in Tit. *Legio*. 2.

AZA, æ. Jus Vicentin. l.3. de armis vetitis, & Statut. Veron. l.3. c. 3. vel *rangeno, vel aza, vel plumbato*. Vides azam adnumeratam inter arma vetita. Latium barbariſsans ab Italis hanc vocem habet, de qua Academici à furfure *Azza. Sorte d' arme in aſta, lunga tre braccia in circa, con ferro in cima, e attraverſo dell'una delle parti appuntato, ed all' altra à guiſa di martello*. Latin. *Securis*. Arioſt. Fur. 39.

Mena dell' Azza diſpettoſo, e fiero.

Menagius. *Azza. Parola Lombarda, ſignificante ſcure; forſe dal latino* Acies, acie, acia, aza, azza. *Le gloſſe attribuite ad Iſidoro*: Acieres, genus ſecuris. *Overo, ſecondo il Signor Ferrari dal Tedeſco ax. dell' iſteſſo ſentimento*.

AZCONA, æ. Inter jacula refertur à Scriptoribus proſtratæ latinitatis. Fori Oſcæ Ann. 1247. *Ità tamen quod non ponat in boſordo ferrum azconæ, dardi, vel lanceæ*. Sermo ibi eſt de equeſtri decurſione.

B

BASTAGIUM. Adde. Nec tamen onera ſolum, ſed fortaſſe frequentius curationem ipſam onerum deportandorum notat Baſtagium,

gium, vel Baſtagia, vel Baſtaga, qua ſæpius terminatione eam vocem uſurpant leges, & Juriſconſulti. Inter magiſtratus Comitis Sacrarum largitionum utriuſque Imperii legitur Præpoſitus Baſtagerum. Ad eum pertinebat translatio onerum, quæ tam ad ſtatum publicum, quam ad Principem ipſum ſpectabant. Transferendo onera numerantur annona, veſtes militares, ſarcinæ, pecunia, arma, omniſque generis alimenta, & commeatus. Baſtagarii proinde vocabantur, qui equis, mulis, aut navibus ad præſcriptas provincias deducebant veſtes principis, ſericum, purpuram, gemmas, item frumentum, quod genus a naviculariis Alexandriam, & Conſtantinopolim delatum pia Embola in Jure appellatur. Preſtò aderant Baſtagariis milites, qui præſidii cauſa eos terra marique comitabantur. Nam legio III. Italica ſub duce Rhætiæ tranſvectioni ſpecierum aſſignata legitur. Quatuor ad Orientem, totidem ad Occidentem numerantur Baſtagæ, quæ ſuis Præpoſitis ſingulæ ſuberant. Baſtagarum procuratio affinis eſt tractationi curſus publici, & angariarum, de quibus alibi eſt dictum. Etymon Baſtagæ a portando notione Græca, ut eſt explicatum in Tit. *Baſtum*.

Batavi Seniores. Batavia, nunc Hollandia, provincia eſt Belgii ad exitum Rhæni. Acciti inde ab Auguſto milites, quorum idem equi-

equitatu præſtantiſſimo uſus, ut ſcribit Dion: adlectique inter Auxilia legionis XIV. Eoſdem ſub Vitellio meruiſſe tradit Tacitus l. 16. Iidem poſtea militaſſe inveniuntur inter Auxilia Palatina ſub præfectura primi Magiſtri militum in præſenti. Eorum Symbola digerit Pancirolus Comment. Imp Or. c. 30. & Occid. c. 22.

BELLUM INTERNECINUM. Vide Internecinus, a, um.

BENEFICIARII. Adde ad finem. Ex codice Juſtinianæo conſtat Centuriones maxime, & Tribunos ex divenditis vacationibus quæſtum facere conſuevisſe, in proprium emolumentum converſis militum ſtipendiis. Hi vero ſunt mlites, qui Beneficiarii Tribunorum, & commeatu obtento in memoriis veterum frequenter occurrunt. Fœneratitio huic commeatui obviam itum eſt à legibus. Cod. de Offic. PP. Africæ leg. 11. *Nullum audeant Duces, vel Tribuni commeatalem de ipſis dimittere; ne, dum ſibi lucrum ſtudent conficere, incuſtoditas noſtras relinquant provincias*. Conſules ipſos, & Prætores eodem pacto pro Beneficiariis habuiſse minores magiſtratus, commoſtrant inſcriptiones veteres. *Beneficiarius Conſulis*. *Beneficiarius Proconſulis*. *Beneficiarius Prætoris*. Indultum tamen à Principibus certum numerum Beneficiariorum habemus ex Cod. de erog. milit. Ann. *Sin vero ſaluberrimam conſtitutionem offendendo amplius quam triginta viros*

datis commeatibus Tribunus dimittere auſus fuerit, pecunias quidem, quæ poſt præfatorum triginta virorum numerum per commeatus dimiſſis militibus erogandæ fuerant, publicæ rationi erogator non dubitet reportandas. In Codice Theodoſiano Beneficiarii inter apparitores, alioſque miniſtros in officio Rationalis relati leguntur; iiſque injuncta cura curſus publici, reorum conquirendorum, & ſimilia miniſteria. Vide Salmaſium ad Spartianum in Adriano. Poſtremo alia acceptione Benificiarii, ſeù Beneficiati ſunt, qui aliis nominibus, Vaſſi, Vaſsalli, Dominici, & Fœudati nuncupantur. Beneficia nimirum dicebant prædia fiſcalia, quæ à Principibus iis fere impertiebantur, quorum virtus militaris præ cæteris eſset perſpecta. Hinc eadem Beneficia militaria, & abſolute Regalia dicebantur. De iis, & de multiplici lege ſervanda ab eadem accipientibus multa digerit Cangius in Gloſs.

Bortglaria. Inter arma recenſetur. Libertates Belgeraci in Vaſconia. *Item armaturæ utpote enſes, lanceæ, ſcuta, bortglaria, loricæ, pileus ferreus.*

Braccati. Numerantur a Valeriano, & Pancirolo inter Auxilia Palatina ſub Magiſtro militum præſentali. De iis Ammian. l.15. *Braccati ſolicitantur atque Cornuti, fluxioris fidei, & ubertate mercedis ad momentum omne verſabiles.* In horum Symbolis digerendis multus eſt Pancirol. c.39. Accerſebantur ex

Gallia

Gallia Narbonenſi, quam provinciam Braccatam fuiſſe appellatam ex braccis, veſtimento a nobis ſuo in loco fusè explicato, Plinius, aliique tradunt.

Brochelerium. Scutum. Italis Brocchiere. In Jur. Vicent. *Scuto, brochelerio, vel alio inſigni armorum defenſibilium.*

C

Camptaula. Vide Cæraule, & conſule Salmaſium in Carinum Vopiſci.

Caput. Adde in fine. Idem l.34. *Quod minus conveniens eſſe, quam omiſſo hoſte Argos oppugnari? Se vero caput belli, Lacedæmonem, & Tyrannum petiturum.* Quod in qualibet tractatione ducimus eſſe præcipuum, Caput rerum appellamus. Tacit. l.1. Ann. *Fixum ei fuit non amittere caput rerum, neque ſe remque publicam in caſum dare.* Caput rerum vocavit urbem ſedem Imperii. Nihil attentius ſpectandum in defenſione, aggreſſione præliari, & facinore quolibet militari, quam ut in eam partem conatus, & arma tendantur, quæ ad ſummam rerum ſingulari modo conducit. Leviora ſectantes in immenſum bella proferunt, paſſim indignante milite, fruſtra labores ferri, ſumptus fieri, ſanguinem fundi. Ad rem Saluſtius de Bell. Jugurt. *Fruſtra niti, neque aliud ſe fatigando niſi odium quærere, extremæ dementiæ eſt.* Solerter igitur cauteque egit Tiberius; qui hinc Germa-

manis, Illyricis illinc provocantibus, ab urbe ſe divelli non paſſus eſt, qua ſervata terrores exteri parum erant pertimeſcendi. Didicerat ſalutare conſilium Tiberius ab Auguſto, qui M. Lepido, & Antonio, quibuſcum imperii ſocietatem inierat, honoris & poteſtatis exercendæ ſpecie, procul ablegatis, urbem coluit,quam belli, neceſſitate quandoque compulſus deſerere, feſtinatò identidem repetebat. Ea fretus arte eundem M. Lepidum fiducia viginti legionum ſuperbientem ſpoliavit exercitu, Antonium vero ad inferendas ſibi manus adegit. Bellum Punicum, ſuperſtite Carthagine, atrox & diuturnum Romanos exercuit. Sed poſtquam Cato in Senatu recentes ficus, & triduo ante in æmula civitate decerptas, Patribus oſtendit, felici exitu debellatum eſt, miſſo illuc cum exercitu Scipione Æmiliano, cui a victa deletaque urbe nomen poſtea minori Africano fuit. Eam ob cauſam excuſari non poteſt Pompejus Magnus, qui ubi primum adventare Cæſarem ſenſit, ab urbe diſtractus, & huc illuc ſigna circumferens, infortunia ſibi, & Reipublicæ fatalia ſolicitavit. Aderant illi in Italia Romæque ingentes opes, ſplendidæ affinitates, vires validæ ad hoſtem propulſandum. Quid illa actum non tam diſceſſione, quam fuga? Collectis Aſiaticis, quorum parum firma præſidia, nec ſatis firma fides erat, deſultorium, vagumque Martem ſequutus, exercitum vidit oc-
ci-

cidione deletum; ipſe vero in ora Ægypti a plebejo gladio obtruncatus, tanto dedecore mortem invenit, quanta ambitione regnum quæſierat. Pudendum hæc craſſumque eorum errorem evincunt, qui quod belli, rerumque caput eſt, neglectui habentes, parum profutura niſu fruſtraneo conſectantur; quemadmodum fatue ſtolideque ageret, qui minantis viperæ non caput, ſed caudam premeret, quod irritamento potius illi eſſet ad crudelius ſublato capite feriendum. Ex horum numero non habendus conſul Æmilius, qui cum in Illyrico urbem Dimalam præ cæteris valide communitam offendiſſet, eidem oppugnandæ animum vireſque contulit, *ratus*, ut ſcribit Polybius l. 3. *id quod evenit, ſi ea caperetur, facile reliquas timore perculſas in poteſtatem Romanorum venturas*. Egregiè Annibal ſolertiſſimus Imperator apud Livium l. 21. *Carteriam urbem opulentam, caput gentis ejus, expugnat diripitque quo metu perculſæ minores civitates, ſtipendio impoſito, Imperium acceperunt*. Idem ſcite poſtulavit Cruceſignatos Principes in bellicum Senatum accitos Gothefridus Bullovicenſis apud Taſſum c. 1.

Già non laſciammo i dolci pegni, e'l nido
Nativo noi, ſe 'l creder mio non erra,
Nè la vita eſponemmo al mare infido,
Ed a perigli di lontana guerra,
Per acquiſtar di breve ſuono un grido
Volgare, e poſſeder barbara Terra;

Che

Che propoſto ci havremmo anguſto, e ſcarſo
Premio, e in darno dall' Alme il ſangue ſparſo.
Mà fù de' penſier noſtri ultimò ſegno
Eſpugnar di Sion le nobil mura,
E ſottrar i Criſtiani al giogo indegno
Di ſervitù così ſpiacente, e dura.

Non aliter privati bellatores Monomachiam exercentes in adverſa pectora, ubi vitæ ſedes eſt, gladiorum cuſpides dirigunt; in eos vero, qui vel divinitus, vel magicis excantationibus, aliiſque adverſus ferrum, ignemque antidotis impervia vulneribus gerunt pectora, in eam partem arma convertunt, quæ vacat beneficio aſcitæ ſecuritatis. Paris Achillem per inſidias petiturus non in ejus latera aut pectus ſagittam tetendit, ſed orantis in templo pedis plantam transfixit, quæ ſolum vulneri ferendo erat pervia, reliquo ſtygiis aquis obdurato corpore. Hercules adverſus Antæum Gigantem Lybicum luctans vita illum ſpoliavit arctius amplexum, & à terra divulſum, cujus contactu novis ille ſuffectis viribus validior decertabat. Quibus fabularum commentis omiſſis, Samſon raſo capite vulſoque capillitio, prodigioſa qua pollebat fortitudine erat orbandus. Judic. 16. *Si raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque ſicut cæteri homines.* Ex quo Sacræ Hiſtoriæ eventu ſuam non dubiè concinnavit Orilli fabulam Areoſtus c. 15. Et quoniam in rebus agendis momentum gra-

viſ-

viſſimum, & vere caput rerum eſt imploratio opis divinæ, quod eo curatius in militia ſervandum, quo eadem adverſis caſibus magis objicitur, ideo ſacrificiis, publiciſque, ac privatis precibus ſupremum numen cumprimis eſt propitiandum. Sed qnoniam de hoc argumento dictum eſt alibi, ſatis hic erit commemorare adhortationem Petri Eremicolæ ad Gothefridum. Sic autem ille apud Taſſum c.11.

Mà 'l capitan delle Chriſtiane genti,
Volto avendo all'aſſalto ogni penſiero,
Giva appreſtando i bellici ſtromenti,
Quando a lui venne il ſolitario Piero;
E trattolo in diſparte in tali accenti
Gli parlò venerabile e ſevero:
Tu movi, o Capitan, l'armi terrene,
Ma di là non cominci, onde conviene.
Sia dal Cielo il principio: Invoca avanti
Nelle preghiere publiche, e devote
La militia degl' Angeli., e de Santi,
Che n'impetri vittoria ella che puote.

CASA, Æ. Paſtorale fere tectum, terra, paleis, ſtramine coopertum. Occurrit etiam pro tabernaculo militari, ſed rudi, & tumultuario. Hirt. l.6. *Harpagones ad Caſas, quæ ſtramentis ab noſtris hibernorum cauſa ædificatæ erant, diruendas.* Adagium eſt a Terentio relatum in Phorm. *Ita fugias ne præter caſam.* Donatus exponit ſic a quopiam eſſe fugiendum, ut non prætereat Caſam ſuam, quæ fugienti poſſit eſſe receptaculum. Satis cla-

clara eſt explicatio, ſed loco Terentii non belle congruit. Addunt alii interpretationes alias, mihi obſcuriores. Vide Authorem Chiliadum. Caſa Italis eſt *Capanna*, cujus vocis expoſitionem dedimus in Tit. *Tugurium*.

Castra Misenatium. Auguſtus ad tutelam interni maris duas claſſes conſtituit, alteram ad Miſenum, quæ mare inferum, alteram ad Ravennam, quæ mare ſuperum defenderet. Ex hac ad Epirum, Macedoniam, Achajam, Propontidem, Cyprum, & Cretam; Ex illa ad Galliam, Hiſpaniam, Sardiniam, Africam, & Ægyptum erat recta navigatio. Miſenates, quieſcente in portu claſſe, Romæ propria habebant caſtra, quæ Miſenatium dicta, & in tertia urbis regione cenſentur. Vide quæ diximus in Tit. Claſſis 5.

Castra Peregrina. Memorantur in regione ſecunda urbis Romæ. Ammianus l.6. refert Chonodomarium Alemannorum Regem à Juliano Apoſtata bello captum miſſumque ad Conſtantium Auguſtum, diem ſuum obiiſſe in Caſtris peregrinis ad montem Cœlium. Dion author eſt Auguſtum equites Peregrinos ex Batavia contraxiſſe. Idem aſſeverat Blondus l. 3. Rom. Inſtaur. Svetonius tamen reticet de iis caſtris in vita Auguſti.

Catadromus. Adde ad finem. Sed vulgatam receptamque hanc Catadromi acceptionem con-

conturbant Brodeus,& Turnebus l.27.c.18., contenduntque Catadromum ibi eſse funem protentum, quo decurrere ſolerent hiſtriones, & funanbuli. Nihil enim, ajunt, mirum fuiſset hominem elephanto inſidentem per equeſtre decurſorium ferri: cum cæteroqui conſtet elephantos funanbulos Romæ viſos, ut nos etiam prolatis teſtimoniis oſtendimus in Tit. *Elephas*. Addunt clariſſimum Teſtimonium Xiphilini in Nerone per hæc verba. *Quo tempore equus introductus in theatrum in ſummum ejus fornicem conſcendit, atque inde vehens hominem in fune decurrit*. Eandem funis notionem habent verba Labeonis Digeſt. 19. 1. 54. *Qui per catadromum deſcendere, aut in cloacam demitti ſolitus eſſet*. Favet vox ipſa Catadromi, quæ deſcenſionem ſonat. Robur accedit ab alia acceptione ejuſdem Catadromi pro machina in emporiis maritimis pondera demittente, vel elevante, quam Gruem decurſoriam appellant ab ejus avis arreptitiæ forma, de qua meminerunt Pandectæ. Dicendum proinde Catadromum vocari non equeſtre ſolum decurſorium, ſed quicquid habet decurſorii ſpeciem.

CHELO, onis. Vide *Manuela*.

CIRCUMEQUITO, as Livio l. 10. *Duas turmas ſociorum circumequitare mænia jubet*.

CLITÆ, arum. Lipſius Poliorc. l. 3. Dial. 3. inter machinas jaculatorias clitas referens ignorare ſe fatetur quod genus machinæ id fue-

fuerit; nec aſserendo vocabulo ullum profert teſtimonium. Ego poſt excuſsa ſcriptorum volumina ne verbulum quidem de Clitis offendi: quo circa eas a Lipſio merito ignoratas eſse cognovi.

COLUMNÆ HERCULIS. Terrarum, & Oceani vinculum appellatæ ſunt ab Antiquis, ignorantibus ſcilicet ultra fretum Gaditanum, Herculeum poſtea ab Hercule appellatum, non aquarum modo vaſtitatem quandam, ſed immenſa terrarum ſpatia protendi. Ad oppoſitos Africæ extremos illos Europæ fines Herculem fuiſſe progreſſum, ibique monumentum aliquod expeditionum ſuarum extuliſſe, non eſt dubitandum; ſed quinam ille fuerit Hercules, & quod excitatæ memoriæ genus extiterit quod Columnas Herculis nuncupamus; id vero eſt inveſtigandum: ſi veri quidquam, etiam apud Mythicos erui poteſt in tam obſcura vetuſtatis, atque adeo Scriptorum caligine. Primum omnium ſtatuendum eſſe cenſeo ipſam Fabulatorum audaciam certis finibus circumſcribi oportere, nec aſſumpto ſemel Mythologi nomine, continuo ad quædam incredibilia memoratu decurrere quemquam poſſe. Non defuere qui ſcripſerint Europam prope Gades olim Africæ nexam ab Hercule fuiſſe divulſam, aditumque Oceano ad interiectas terras fuiſſe adapertum. Monſtrum hoc quoddam commenti eſt, quod ne apud Phæaces quidem fidem inveniat. Quod terrarum

Ex-

Excurſor ille perpetuarius Acheolum, alioſque fluvios per inciſos euripos, canaleſque diſtraxerit, non abnuam credere: ſed ab homine Thebano, vel Lybico effracta clauſtra, quæ Europam Africæ necterent, id ego figmentum aereis ad Lunam decurſibus, aliiſque Luciani narrationibes meritò comparaverim. Memoriæ proditum eſt Siciliam ab Italia olim diſiunctam: verum vis illa fuit luctantis obnitentiſque pelagi Virg. Æn. 3.

Hæc loca vi quondam & vaſta convulſa ruina
(Tantum ævi lõginqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt: cum protinus utraque tellus
Una foret, venit medio vi pontus, & undis
Heſperium ſiculo latus abſcidit, arvaque & urbes
Littore diductas anguſto interluit æſtu.

Pudere omnino debuit Scriptores veteres Herculis impulſui plus adhuc virium, quam irrumpenti pelago tribuiſſe Diod. Sic. l. 5. c. 2. *Tradunt alii conjunctis prius montibus ab eo effoſſis pervium oceanum ad noſtrum mare factum.* Mela l. 1. c. 4. *Mons eſt prœaltus, ei quem ex adverſo Africa extollit, objectus: Hunc Abylam, illum Calpen vocant, Columnas Herculis utrumque. Addit fama nomini fabulam; Herculem junctos olim perpetuo jugo diremiſſe colles, atque ita exclufum antea mole montium Oceanum, ad quæ nunc inundat, admiſſum.* Senec. Herc. Fur. act. 2. 1.

Penetrare juſſus ſolis æſtivi plagas,
Et aduſta medius regna quæ torret dies,

Utrinque montes ſolvit abrupto obice,
Et jam ruenti fecit Oceano viam.

Adde Silium. l. 3.

Mira dehinc cernit ſurgentis mole profundi
Injectum terris ſubitum mare, nullaque circa
Littora, & infuſo ſtagnantes æquore campos.
Nam, quo cæruleis Nereus evolvitur antris,
Atque imo freta contorquet Neptunia fundo,
Præruptũ exundat pelagus, cæcoſque relaxans
Oceani fontes, torrentibus ingruit undis;
Tum vada, ceu ſævo penitus permota tridenti
Luctantur terris tumefactũ imponere pontum.

Ut verò ad id, quod erat in partitione primum, aggrediar, quemadmodum conſtat Herculem monſtrorum hominumque maleficorum domitorem extitiſſe, & ubique terrarum ob gloriam virtute partam obtinuiſſe Statuas, Aras, Templa, gratarumque propter accepta beneficia nationum innumera monumenta, ſic pro Scriptorum varietate, minimum liquet, unus ne an plures, & quo demum numero Hercules cenſeantur. Duos alii, alii tres enumerant. Cicero de Nat. Deor. ſex recenſet: Varro quatuor, & quadraginta collegit. Vere puto exiſtimatum fuiſſe, domitores omnes latronum, hominumque facinoroſorum antiquitus Herculis appellatione fuiſſe donatos. Neutiquam tamen dubitandum eſt ad duos præſertim Hercules, Thebanum alterum, alterum Lybicum, ſive Ægyptium referendos eſſe famigeratos illos labores, victorias,

& fa-

& facinora, quæ a Scriptoribus referuntur. Ex his dolendum plane eſt inveniri neminem, qui commemoratos labores utrique Herculi ſic diſpertiverit, ut, qui potiſſimum alterutrius fuerint, noſcerentur. Facili quis negotio poſſet ex utriuſque patria eoſdem ſecernere; & quæ opera apud Græciam & finitimas provincias geſta ſunt, Thebano, quæ in Hiſpania & Africa, Libyco adſcribere. Sed in hac ipſa recenſione nutat veterum fides; cum notum ſit, ab utroque Hercule univerſas ferè terras fuiſſe peragratas. Certe Thebanum ad interiora Lybiæ penetraſſe inficiari nemo poteſt. Philoſtr. vit. Apoll. l. 5. c. 1. *Sunt quoque apud ipſos Arti, & Paupertati aræ poſitæ, ſicut Egyptio, & ſeorſum Thebano Herculi. Alterum namque finitimas provincias uſque Erythiam penetraſſe ferunt cum Geryone; ejuſque boves captivos duxiſſe: alterum vero ſapientia excellentem totum terræ ambitum dimenſum eſſe.* Silius etiam l. 3. in deſcriptione templi Jovis Hammonis, ubi inciſi viſebantur labores Herculis, qui plane Lybicus eſſe debuit, nam & illud in Lybia templum, apponit Herculis victorias apud Cleonas, & Erymanthum, quæ ſunt Peloponneſi loca, & pertinentia ad labores Thebani Herculis. Ex quo plane intelligas, utriuſque Herculis facinora apte appoſiteque digerere plus quam Herculeum laborem eſſe. Conjecturæ tamen ex ſolo patrio, & plura facile Autho-

rum ſuffragia Lybico favent. Controverſiam hanc non tam dirimunt, quam tollunt, qui non duos vel plures Hercules, ſed unum duntaxat agnoſcunt. Jam vero de Columnis Herculeis non prius perſequar quid Scriptores ſtatuerint, quam quædam huc ſpectantia præjecero; Qui ad amplectendam virtutem ſolitariam, & ab honorum vel gloriæ acquiſitione disjunctam ſponte convolent, rari admodum percenſentur. Invitis Stoicorum ſubtilitatibus clamat Iuvenalis Sat. 10.

quis enim virtutem amplectitur ipſam
Præmia ſi tollas?

Cic. ad Brut. *Decoratur honoribus, præmiis, atque ſplendore verus, juſtus, & honeſtus labor*. Hinc ſapienter inſtitutum a Græcis ut militum ducumque virtus incitaretur trophæorum erectione in loco victoriæ. Eorum tam frequens uſus apud Thucydiden occurrit, ut Peloponneſi nemora exciſis truncis corraſa; atque, iiſdem in trophæa converſis, dicere poſſis diſſeminata paſſim arva ſilveſcere. Quemadmodum minores Victoriæ, ſolaque fere hoſtium fuga partæ, trophæis notabantur, ſic maximarum expeditionum felices eventus, non trunci ad non diuturni uſuram temporis, ſed ſolidiora monumenta, Arcus ſcilicet, Aræ, Columnæque indicabant. Aras ab Alexandro in India erectas legimus apud Curtium. In eadem India columnas excitatas a Baccho diſci-

ſcimus ex Antipatri epigrammate, Servio, & aliis. Herculem vero ad Hiſpaniæ, Africæque fines columnas poſuiſse expeditionis ſuæ indices multorum literis traditum. Quo vero ſeorſum in loco erectæ, ex qua materia conflatæ, & quid demum rerum illæ fuerint columnæ, adhuc quæritur. Philoſtratus in Vit. Appoll. l. 5. c. 1. refert conſpici illas in inſula Gaditana, & quidem in Templo eidem Herculi ſacro. Conſtructas porro memorat ex auro & argento fuſili, metallis ſcite permiſtis, & literis quibuſdam inciſis. Sed præſtat ejus locum deſcribere. *Quæ in Templo ſunt columnarum ſimulacra ex auro, & argento ſimul fuſo, & in unum colorem redacto facta eſſe narrat. Eſſe autem quadrangulares, velut incudes, & earum capita literis inſculpta ſunt non Ægyptiis, neque Indicis, neque ab aliquo penitus cognitis.* Et Hiſpani quidem Afrique apud Gades eas columnas fuiſse opinantur, quoniam ex iis, quæ circa fretum ſunt, nihil ſit columnis ſimile. Eaſdem in templo Gaditano eidem Herculi dicato ex ære ſtructas, & ad octo cubitorum altitudinem elatas tradit Strabo l. 3. ubi duo notanda etiam occurrunt: primum ad capita columnarum inſcriptum fuiſse pretium ſumptus in iis conſtruendis. Et hæ facile ſunt literæ quas ignotas dixit Philoſtratus. Alterum, navigantes Herculi in eo loco ſacrificantes fateri ſe a Deo interius inſtrui, atque edoceri, illum maris terrarumque

 ter-

terminnm eſse. Ex eodem Strabonis loco ortam putaverim vulgatam inſcriptionem *Non plus ultra*, quam iis columnis inciſam poſteriores Scriptores ferunt, nullis, quod ſciam, id teſtantibus veterum literis. Hæc opinio de Columnis Herculeis mihi ſatis probari non poteſt. Ut enim non abnuam duas in templo Gaditano columnas fuiſse conſpectas, Herculi potius eas dixerim, quam ab Hercule erectas. Clarius id reddit inciſa columnis expenſæ ſumma, quam ad errabundi equitis fortunas tenues neutiquam facere oportuit. crediderim ex donativis navigantium, qui ſoſpites illuc pervenerint, & vota Deo, vel Semideo perſolverint, conflatam ab Oppidanis pecuniam fuiſse pro columnis in templo erigendis. Idem ibidem Strabo refert ab aliis creditum eſse non aliud extitiſse Columnas Herculis, quam montes ipſos, ſeu promontoria, quæ noſtrum mare ab Oceano ingredientibus occurrunt; quorum alterum in Mauritania, alterum in Hiſpania Bætica extollitur, quibus binæ ſubiiciuntur civitates iiſdem promontoriis cognomines Abyla nempe Afrorum, & Calpe Hiſpanorum. Addunt montes ipſos rotundo quodam ambitu columnas repræſentare procul intuentibus. Montes non ineptè columnas nominari libens aſsentior; quæmadmodum clauſtra quædam montium Portas vocamus, ut ſunt Portæ Caſpiæ, Portæ Mæſiæ, aliæque. Pindarus

darus hoc ipſum fretum Gaditanum, quoniam Oceano in terras ingredienti ibidem eſt tranſitus, Portas Gaditanas appellat. Abſurdam tamen hanc quoque ſententiam, & reiiciendam exiſtimo, propterea quod Abyla, & Calpe, ſi columnæ ſunt, non ſunt ab Hercule, ſed a Natura, aut potius a naturæ Conditore utrinque in eo freto ſublatæ. Neque enim eſt deroganda fides receptæ apud omnes nationes famæ de columnis vere ab Hercule elatis. Injurioſum porrò id eſset expeditioni omnium maximæ eximii bellatoris. Ut enim præteream columnam apud Indos a Baccho poſitam, Rhegini columellam in freto Siculo, Siculi exadverſum turrim ad Pelori promontorium erexerunt. Columnam aliam Jones in Iſthmo Corinthiaco, aliam in Peloponneſo finitimi victores excitarunt. Alexander vero in India aras extulit, expeditionis ſuæ teſtes. Jam vero ſi vera ædificia & monumenta aliis ob geſta felicia attributa credimus, eam laudem detrahere non poſsumus Herculi, qui claritudine rerum geſtarum reliquis præfulſit, divinoſque honores obtinuit. Quamobrem eorum opinioni acquieſcendum eſse cenſeo, qui veras columnas ab Hercule in ipſo freto, non vero in templo Gaditano poſitas tadiderunt. Eas demum columnas altitudine, & mole eximias fuiſse arbitrandum: quadrato etiam extructas marmore, cujus copiam abunde ſuppeditare potuerunt

promontoria ipſa, ad quorum radices facile collocatas fuiſse mihi perſuadeo. Harum Columnarum, imò aliarum inſuper, quæ ſparſim erectæ celebrantur a Scriptoribus, originem a Columna Hebræorum, quæ eiſdem præluxit ad commeandum, eruditè deducit Daniel Huetius Demonſtr. Evang. prop. 4.

Communio, is Cæſ. l. 1. *Ea caſtella communit*.

Concordia. Vide *Diſcordia*, *Amicitia*, *Fœdus*, *Cohors ſacra Thebanorum*.

Costantia. Virtus eſt, qua in honeſtis deliberationibus perſiſtit animus, adverſus difficultates, quæ exoriri poſſunt, congredi paratus. Si a temporis diuturnitate difficultas proficiſcitur, Perſeverantia dicitur. Character eſt, & nota ſingularis virtutis Heroicæ. Periculoſa & ardua audent atque perficiunt viri fortes; ſed qui in iis firmitudinem quandam animi ſtabilem, atque perpetuam oſtendunt, Heroes nuncupantur. Horum facile Princeps Hercules integrum vitæ curſum exanthlandis laboribus, periculis laceſſendis, feris monſtriſque conficiendis ſic exercuit, ut Euryſthei imperia duriſſima, & Junonis novercæ odia defatigaverit. Senec. Herc. Fur.

Superat & creſcit malis,
Iraque noſtra fruitur; in laudes ſuas
Mea vertit odia.

Et infra

monſtra jam deſunt mihi;

Mi-

Minorque labor eſt Herculi juſſa exequi,
Quam mihi jubere.

Accenſe Theſeum. Amazones vexare non deſtitit, donec debellatas ab Athenarum imperio depelleret. Scironem, Procuſten, Scinin, Atticæ latrones maleficos ſuſtulit. Creontem Regem, Centauros, Minotaurum in Labyrintho interfecit: nullis portentis deterritus alterum Herculem, terrarumque pacatorem geſſit. Sed hæc in majus aucta a Græcia fabulante. Excute ſcrinia Hiſtoricorum. Admirabilis conſtantiæ virum exhibet tibi Juſtinus l. 2. Cynegyrum Athenienſem navali prælio dimicantem adverſus Perſas. Cum fugientes hoſtes ad naves egiſſet, onuſtam navem dextra manu tenuit, nec prius dimiſit, quam manum amitteret: tum quoque, amputata dextra manu, navem ſiniſtra comprehendit, quam & ipſam cum amiſiſſet, ad extremum morſu navem detinuit. Tantam in eo virtutem fuiſſe dicunt, ut non tot cædibus defatigatus, non ambabus manibus amiſſis victus, ad poſtremum truncus, & veluti rabida fera dentibus dimicaverit. Redeat huc mihi aliàs celebratus Leonidas, cum trecentis Lacedæmoniorum obviam progreſſus Xerxi Perſarum Regi, decies centena millia militum in Græciam ducenti; cujus tamen feroces impetus ſic ille remoratus eſt, ut adverſus totius Aſiæ vires ſuperbiſſimum Regem pertinacia virtutis ad extremam deſpera-

tio-

tionem redegerit. Innumeris vulneribus perfoſſum cadaver in acie reliquit cum ſociis, quorum prius animos ad pugnam incenderat terribili illo hortamento: Prandete, commilitones, tamquam apud Inferos cœnaturi. Petrarcha:

Leonida, che a' ſuoi lieto propoſe
Un duro prandio, una terribil cena,
E in poca piazza fè mirabil coſe.

Duobus hiſce externorum magnæ conſtantiæ exemplis totidem oppono ex Romanis, Scævam, & Scævolam. Poſterior iſte Porſenam regem in caſtris aggreſſus, ubi fruſtratum ictum agnovit, in ardentes prunas manum injecit, ſuſtinuitque doloris acerbitatem, *Cum interim*, ut oportune animadvertit Florus, *hic interritus, ille trepidaret, tamquam Regis manus arderet*. Petrarcha.

E quel che in mezzo del nemico ſtuolo
Moſſe la mano indarno, è poſcia l'arſe,
Sì ſeco irato, che non ſentì 'l duolo.

In Scæva, Cæſarei exercitus Centurione, exornando non tam laborat, quam laſcivit Lucanus l. 6. Centum & viginti acceptis vulneribus, concerptis inciſiſque membris, ſilveſcente telis clypeo egre uſus ſuper interfectorum coacervatis cadaveribus lapſabundo corpore, ſed adhuc minas ſpirante, decidens, non tam in terræ, quam in fidei conſtantis amplexu extremum ſpiritum conſecravit. Sed audi Lucanum.

Illum tota premit moles, illum omnia tela:

nul-

Nulla fuit non certa manus, non lancea felix:
Parque novum Fortuna videt concurrere, bellum
Atque virum
Et paulo infra
At veritus credi clypeo, lævaque vacaſſe,
Aut culpa vixiſſe ſua, tot vulnera belli
Solus obit, denſamque ferens in pectore ſilvam,
Jam gradibus feſſis, in quem cadat, eligit hoſtem.

Simili loqutione dixit Virg. l. 10.

Immanem ærato circumfert tegmine ſilvam.

In allatis Lucani verbis elucet quidem Scevæ illuſtre præconium, verum in iiſdem quædam mihi non probari ſincere fateor. Primum omnium parum feliciter mentem ſuam aperuit verbis illis,

veritus credi clypeo lævaque vacaſſe.

Præterea clypeum abjicere timidi eſt, aut certè temerarii & deſperantis. Nullam habet cauſam bellator nobilis nudandi ſe clypeo, niſi contingat congredi cum adverſario eodem carente, ut æquentur ſcilicet arma, juxta præſcripta legitimi certaminis. Horatius vitio ſibi vertit abjeciſſe clypeum in prælio apud Philippos, ſic enim l. 2. od. 5.

Tecum Philippos, & celerem fugam
Senſi, relicta non bene parmula.

Poſtremo verba illa,

tot vulnera belli
Solus obit,

Duritia & obſcuritate non carent. Quod ſcri-

ſcripſit *ſolus obit*, elegans eſt, & poeticum; vere enim clypeus tamquam belli ſocius, & adiutor habetur. Sed quid eſt, per Apollinem Pythium, obire vulnera belli? Plane cenſeo mendoſum eſſe locum, & reſtituendum *munera belli*: quo modo, clara eſt ſententia; cum enim duplex ſit munus decertantis, tegere ſe ipſum & hoſtem ferire, Scæva abjecto clypeo, quaſi commilitone, utrumque munus ſolus ſuſtinuit. Cæterum Lucanus, ſententiæ & ingenioſe dictis indulgens, non hic ſolum, ſed frequenter ſtylum negligit incurioſus, & poeticis proſaica admiſcens ſyntaxes & loqutionem infuſcat. Scævæ aliorumque, quorum ſuperius memini, in præliando conſtantiam ſuperavit civis Romanus non præliando. Fuit is Q. Fabius Maximus, qui rem Romanam copiaſque militares poſt Cannenſem cladem ad extremas incitas redactas, conſilii dexteritate reſtituit. Pro patria dimicaturus, in rebus arctis Dictator renunciatus, tres hoſtes validiſſimos habuit, Annibalem, Minucium Magiſtrum Equitum, & Senatum Populumque Romanum. Annibalem ſæpius laceſſentem ſaluberrima cunctatione repreſſit fregitque: Minucium collegam, præcipitis ingenii, ad conſerendas manus inconſulta temeritate allicientem, ſeque apud Senatum & in vulgus, tamquam imbellem & pavidum, criminantem, invicta tolerantia ſuſtinuit; ut adamuſſim ſcripſerit

Se-

Seneca, difficilius ei fuiſſe iram vincere, quam Annibalem; iram nempe conceptam animo propter importunam Collegæ ferociam. Ad ultimum Senatus Pupulique Romani parum provida conſilia pervicit, cum ſibi Dictatori Magiſter Equitum Minucius, novo exemplo, æquaretur imperio, eique plus fidei haberetur. Tam ſingulare conſtantiæ genus Cunctatoris cognomentum Fabio peperit; quod, ſi ejus in patriam promerita perpendas, nihilo minus illuſtre judicaveris Aſiatici, Africani, Germanici, Britannici, aliarumque devictarum gentium appellationibus, quæ Duces alios exornarunt. Quamobrem ex tanti viri meritis & virtute ſcripſit Valerius Max. l. 3. c. 8. *Ut Scipio pugnando, ita hic non dimicando civitati noſtræ ſuccurrit. Alter enim celeritate ſua Carthaginem oppreſſit, alter cunctatione id egit, ne Roma opprimi poſſet.* Nec profecto aliter ſtetit, viguitque partum Romanis terrarum imperium, quam conſtanter obſiſtendo rebus adverſis, ut ilex illa apud Horatium l. 4. Od. 4. quæ bipennibus percuſſa,

Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

Prodiderunt id ejus Reipublicæ viri fortes: Liv. l. 34. *Maximæ partis ſententia erat, perſeverandum in bello eſſe, & tollendum tyrannum; numquam aliter tutam libertatem Græciæ fore: ſatius multo fuiſſe non moveri bellum adverſus eum, quam motum omitti.* In eandem

ſen-

ſententiam Marcellus apud eundem Hiſtoricum l. 24. *Multa magnis ducibus ſicut non aggredienda, ita ſemel aggreſſis non dimittenda eſſe dicendo, quia magnæ famæ momenta in utramque partem fierent, ſenſit ne incepto abiretur*. Eam Romanorum Conſtantiam fateri hoſtes non puduit: Tacit. l. 5. Hiſt. *Quid perfectum cæde, & incendiis legionum, niſi ut plures validioreſque accirentur;* Idem Annalium l. 11. *Invictos, & nullis caſibus ſuperabiles Romanos prædicabant, qui perdita claſſe, amiſſis armis, poſt conſtrata equorum virorumque corporibus littora, eadem virtute, pari ferocia, & velut aucti numero irrupiſſent*. Quam procul a tanta virtute abiere, de quibus Florus: *Primi impetus pluſquam hominum, ſecundi minus quam fœminarum*. Torquat. Taſ. c. 1.

Impeto fan nelle battaglie prime,
Mà di leggier poi langue, e ſi reprime.

Optimo conſilio Homerus conſtantiæ laudem & neceſſitatem utroque Poemate indicavit. Quot laborioſis facinoribus, quam cruentis conflictibus, quanta rerum viciſſitudine peracta eſt Trojæ obſidio decennalis? non peſtilentia pene diruti, non Achillis diſceſſu fracti animo, non tot adverſis eventibus perterrefacti ab Urbis oppugnatione receſſerunt. Ulyſſes vero tot ſpatia maris atque terrarum, non tam paſſibus quam periculis emenſus, major fortuna ubique obluctante, ab animo, non amiſſione

ne

ne ſociorum, non tot exortis tempeſtatibus, non inſidiis ubique paratis domito, reditum in patriam, & ad feros amplexus relictæ conjugis impetravit. Horat. Epiſt. l. 1. 2.

Qui domitor Trojæ, multorum providus urbes
Et mores hominum inſpexit, latumque per æquor
Dum ſibi, dum ſociis reditum parat, aſpera multa
Pertulit, adverſis rerum immerſabilis undis.

Ex bello Thebano admirabilis conſtantiæ exemplum acccerſo a Thebarum oppugnatore Capaneo. Inter imbres decidentium jaculorum muros ſcandit armatus: pinnis arreptis conſiſtit pro mœnibus, nullis circumfuſorum hoſtium ictibus e veſtigio motus. Cum nullæ illum machinæ inde divellerent, opus fuit Jovis fulmine minantem dejici, quo afflatus, ira magis quam flammis exc anduit, ut ad eum conficiendum altero fulmine uti Jovem prope opus fuerit. Stat. Theb. l. 10.

paulum ſi tardius artus
Ceſſiſſent, potuit fulmen meruiſſe ſecundum.

CONSTANTINIANI, aliter Conſtantiaci. Inveniuntur inter Auxilia Palatina utriuſque Imperii. Nuncupati ſunt à Conſtantio, Conſtantini Magni filio, vel ab urbe Meſopotamiæ, cui Conſtantiæ nomen, ut legitur apud Ammianum, qui de iis ſcribit l. 21. *Duas Conſtantiacas legiones addita una Sagittario-*

tariorum cohorte, quas invenerat apud Sirmium, ut ſpectatæ adhuc fidei ſpecimen, miſit in Gallias.

CORNUTI. Adde: Alia notione Cornuti recenſentur inter Auxilia Palatina ſub Magiſtro militum præſentali utriuſque Imperii. Nomen illis a Cornuto, Illyrici, aliis Pannoniæ oppido, ubi fabricam ſcutariam locat libellus ſæpe relatus de *Notitia Imperii*. De Cornutis non uno in loco Ammianus, quos fluxæ fidei, & verſatiles ingenii notat. De eorum ſymbolis vide Pancirol. c. 45.

CYLLARUS. Equus Pollucis. Virg. Georg. l. 1.
Talis Amyclei domitus Pollucis habenis
Cyllarus.

D

DECIREMIS. Navis decem habens remorum ordines. Plin. l. 7. c. 56. *Ab ea ad deciremem* Neſigeton.

DEXTRATIO, onis. vide *Decurſiones Equeſtres*. 2.

DEXTRO, as. Occurrit uſurpatione duplici. Dextrare equos eſt eos ducere dextra manu religatos, & retentos. Laurent. Valla De Donat. Conſtant: *Quoties prodibat, ut nunc ſolet Papa, præcedentibus equis albis, quos ſtratos famuli dextrant*. Cuilibet Romæ facile eſt in ſolemni Pontificis comitatu conſpicere præcedentes equos albos inſtratos ſtragulis, & inſignibus Pontificiis, argento vel

vel auro textis, dextraque ductos a famulis Palatinis. Dextrare etiam eſt equeſtri circuitione a dextra ad lævam procurrere, modo a nobis explicato in Tit. *Decurſiones equeſtres*. 2. Vide etiam *Addextro*.

DISCORDIA. Voluntatum eſt in diverſa abeuntium diſgregatio, cum odii quadam acerbitate concepta. Si per inſanam parentum noſtrorum ambitionem licuiſſet, tam procul a diſcordia vitam ageremus, quam procul a metu. Sed poſtquam tranquillitatis publicæ perturbatrices voces illæ *Meum* ac *Tuum* cupido noſtro generi fatalis invexit, decidimus a beatiſſimo illo pacis ſinu, ubi, ut ait Ovid. Metam. 1.

Sine militis uſu
Mollia ſecuræ peragebant otia gentes.

A tragico illo funeſtoque lapſu abruptum concordiæ vinculum: tum ferrum in mortis inſtrumenta diffictum; nam prius, ut Virgilius memorat Georg. 2.

Nec dum etiam audierant inflari claſſica, nec dum
Impoſitos duris crepitare incudibus enſes.

Certis ſubinde limitibus diſſecta terrarum ſpatia; qui primum limoſa humo, & ramalibus obſepti, ad hæc poſtea, quæ cernimus, firmiſſimarum arcium munimenta proceſſerunt. Sed quamtumlibet ferreæ munitiones excitentur, licet adamantina mænia præcingant urbes, ſi intus diſcordia dominabitur, corruent hujus impulſu pluſquam

D arie-

arietum ictibus, & baliſtarum. Dubitare non ſinit Matt. 12. *Omne regnum diviſum contra ſe deſolabitur; & omnis civitas vel domus diviſa contra ſe non ſtabit*. Exadverſum nulla fragilis eſt munitio, propugnante concordia civium: Veget. l. 3. c. 10. *Nulla quantumvis minima natio poterit ab adverſariis perdeleri, niſi propriis diſcordiis ſe ipſa conſumpſerit*. Literis aureis, & gemma notandum Mycipſæ regis monitum illud ad filios apud Saluſtium de Bell. Jugurht.: *Ego vobis regnum firmum trado, ſi boni eritis, ſin mali, imbecillum; nam concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur*. Quod videtur penitus hauſiſſe animo Celticus ille Princeps Tyreſius, qui Scipioni interroganti, cur Numantia, quæ prius invicta perſtitiſſet, poſtea fuiſſet everſa, reſpondit: *Concordia victoriam, diſcordia exitium*. Pio olim nobilique invento Romani Chariſtia inſtituerunt, quibus feſtis ad ſacram menſam cognati ſolum affineſque eo conſilio accumbebant, ut ſi quidpiam querelarum inter eos eſſet exortum, hilaritate epularum, Sympoſiacis Diis auſpicibus tolleretur. Sublatæ per ea feſta diſcordiæ exemplum illuſtre commemorat Valerius Max. l. 4. c. 2. In Africano antiquiore, & Tiberio Gracccho, qui cum ad ſacrum Jovis epulum in Capitolio diſſidentes aſſiderent, receſſerunt inde non amicitiæ ſolum, ſed etiam affinitatis vinculo colligati, filia Scipionis Cor-

Cornelia Graccho deſponſa. Par animi prænobilis documentum poſteris reliquere M. Æmilius Lepidus, & Fulvius Flaccus ſummæ amplitudinis viri, qui cum Cenſores renunciati eſſent, quas ad eum diem exercuerant ſimultates depoſuerunt, rati non oportere privatis odiis ultra indulgere, quos poteſtas publica voluiſſet eſſe conjunctos. Jure igitur a Corinthiis mulieribus litatum Concordiæ e Martis manu gladium extorquenti apud Senecam Med. 2. 2.

aſperi
Martis ſanguineas quæ cobibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam,
Donetur tenera mitior hoſtia.

Opportune autem Cornucopiæ Poeta meminit. Vere enim bonorum, ut dicitur, Gargara, & fauſta omnia iis obveniunt, quibus cum Concordia benè convenit. Anchiſes apud Virg. l. 3. Æn. ab equis ipſis concordi jugo colligatis pacis regnique auſpicium cœpit:

Curru ſuccedere ſueti
Quadrupedes, & frena jugo concordia ferre,
Spes eſt pacis, ait.

Et quandoquidem equorum mentio incidit, ſatis pulchre Sertorius vim concordiæ ſuis militibus commonſtravit, cum, equi cauda apprehenſa, robuſtiſſimum quemque provocavit, ut eam divelleret. Quod cum niſu irrito expertis ceſſiſſet, pilis ipſe ſingu-

 latim

latim abſciſſis, oſtendit quanti eſſet animorum viriumque coniunctio. Simili commento Seleucus morti proximus voluntatum conſenſionem filios edocuit, faſciculis jaculorum in ſingulos diſtributis, juſſos unumquemque ſibi traditum diffringere; cumque fruſtra totis exertis viribus conarentur, exemptis ipſe ſingulis jaculis, diſruptiſque; ad hunc, inquit, modum, ſi concordes eritis, validi invictique futuri eſtis; expugnatu faciles, ſi diſſidiis diſtrahemini. Solerter proinde, & accomodate ad cuſtodiam Imperii, inter ſigna bellica dextras inſertas Romani extulere, Conſulum eâ teſſerâ, & Conſularium exercituum ſocietatem indicantes. Romanorum exemplum arripuerunt avide Orientalis Imperii Principes, quorum legiones, vexillationes, auxilia nullo frequentius ſymbolo utebantur, quam nexis in decuſſim circulis, quibus & concordia armorum, & firmitas notabatur. Ejuſdem Concordiæ vim, & neceſſitatem expreſſerunt priſci fabulatores in Caduceatore Mercurio, qui homines Deoſque rixantes componebat interpoſita virga, cujus olim contactu diremerat geminos pugnantes angues, quos impoſterum eidem virgæ obvolutos, inſigne glorioſum geſtabat. Caducei ea virga appellationem habuit, quoniam ejus interventu altercationes, & bella caderent. Deſidia, & incuria eorum, qui civitatibus præſunt, ſolet crebro

bro gignere vel fovere diſcordiam: Ubi enim vileſcere incipit poteſtas publica, continuò ſumunt animos, quibus abjectior fortuna domi eſt; & indigne ferentes tenuitati ſuæ acquieſcere, per injuriam, dolumque æquare ſe ſtudent potentioribus, faſtidio quodam propriæ imbecillitatis, & indignatione contemptus. Eam ob cauſam ſcripſit Plato contentionibus vacuam fore civitatem, quæ nec immodicis divitiis afflueret, nec inopia laboraret. Occurrendum præcipue turbarum initiis: eam ubi partium furor invaluit, ipſa remedia in odiorum incitamenta vertuntur, & *plus valet*, ut monuit Valerius Max. l. 3. c. 8. *quod violentia cogit, quam quod ſuadet, & præcipit verecundia*. Eos ignes facile diſcutit in exercitu Ducis authoritas, benignitas, & liberalitas: ſeveritas ſerum ſæpe remedium, quandoque etiam flabrum eſt facibus, & graviora incendia, dum extinguere contendit, exſuſcitat. Veget. l. 3. c. 4. *Laudabiliores duces ſunt, quorum exercitus ad modeſtiam labor et uſus inſtituit, quam illi, quorum milites ad obedientiam ſuppliciorum formido compellit*. Merito dubitatum a plurimis eſt, quid conſilii in mentem venerit Soloni legem ferenti Athenienſibus, ut qui orta civili ſeditione neutri parti ſe aggregaſſet, non modo notaretur infamia, ſed bonorum etiam ademptione, & exilio mulctaretur. Eam legem Gellius. l. 2. c. 12. Ex Ariſtotele ſcriptam

refert in hanc ſententiam: *Si ob diſcordiam, diſſenſionemque ſeditio, atque diſceſſio populi in duas partes fieret, & ob eam cauſam irritatis animis utrinque arma caperentur, pugnareturque, tum qui in eo tempore, in eoque caſu civilis diſcordiæ non alterutri parti ſe adjunxerit, ſed ſolitarius ſeparatuſque communi malo civitatis ſeceſſerit, is domo patria fortuniſque omnibus careto, exul extorriſque eſto*: Niſi me ratio fugit, non erit parum laborandum indaganti, aut potius divinanti, quo pacto ſua huic legi conſtet utilitas. Prædecernendum eſſe primum omnium exiſtimo utramque partem diſceſſionis ſuæ juſtas habere cauſas apud ſe ſtatuiſſe, ut qui adjungendi ſuperſunt armorum iniquitate non terreantur. Quo ſtabilito, fac a civili pugna remotos, etiam ſi probitate prudentia amore in patriam cæteris præſtent, utrique factioni diviſim accreſcere; quo demum niſu aut conſilio concordiam conglutinabunt? nimirum, ut apud Gellium ibidem diſſeritur, hortando, alliciendo, authoritatem ſuam interponendo. Atqui iſthæc omnia non æque ſolum, ſed etiam tutius liberiuſque præſtare poſſunt, ſi extra aleam graviſſimorum diſcriminum neutras partes tueantur. Præterea nihil facilius factu fuerit, quam ut factioſis aſſociati, eorum etiam odium in adverſarios, & ultionis rabiem induant, jaciendiſque in eos conviciis, & male dictis in-

indulgeant. In has vero pravas animi affectiones, aut earum pericula ſe conjicere legis neceſſitate, & ſine majori proventu, quam ſi ſeorſum agerent, qua ratione probari poſſit, non diſpicio. Ad hæc qui rixantibus non immixti ſuperſunt, aliorum internecione vel diſceſſu viduata urbe, poterunt res quoquomodo reſtituere: quos inſuper ſi furor civilis abſumpſerit, domus vacuæ & nuda mœnia relinquentur. Poſtremo medii inter diſſidentes plura pertentare poſſunt ad revocandam concordiam, quæ ſeditioſis adjuncti nequirent. Integrum illis eſt utramque partem appellare, juvare conſiliis, adhortari: copiam habent advocandi ſequeſtres exteros, potentiorum principum authoritatem adſciſcendi, indicendi ſupplicationes publicas; ad ultimum ipſo metu conjunctim ſe aggregandi in alterutram partem, debilitatam alteram ad conciliationem compellendi. Ejuſmodi autem emolumentis, tantiſque adjutoribus privare rerum ſtatum, eoſque, nullo majore fructu, ad vitæ pericula, & cædes adigere, legislatoris videtur eſſe non humanitatis ſolum, ſed incolumitatis etiam publicæ parum memoris. Neque vero negotii quidquam faceſſunt exempla aliquot, quibus oſtenditur male quandoque ceſſiſſe iis, qui medios ſe inter decertantes obtulerunt. Livius l. II. de Servilio. *Ità medium ſe gerendo, nec plebis vitavit odium, nec apud Patres gratiam iniit*:

Patres mollem Conſulem, & ambitioſum rati, plebs fallacem. Idem l. 45. de Rhodiis. *Hoc enim legatos utrinque de pace mittendo conſecuti ſumus, ut nec ab utraque parte gratiam iniremus, ab altera vero crimen & periculum eſſet*. Quod enim ſequeſtrium culpa, vel contumacia diſſidetinum, ſemel aut iterum contigit, non officit ſaniori eorum conſilio, qui factioſis contentionibus nomen dare refugientes, iiſdem ſedandis impigra opera, ſtudioque, labori non parcunt. Satis ſuperque ſit hæc indicaſſe ſuper Solonis lege in civili diſſenſione. Graviora alia rerum momenta expendenda ſunt ab iis, qui ubi ſummos Principes cum magnis exercitibus belligerare contingit, aut alterutri ſe addicere, aut quieſcere, & ab armis abſtinere conſtituunt. Diteſcendi ardor, & ſpes amplioris imperii quandoque ſtimulos admovet ad potentiorum ſigna occupanda. Imbecillioribus interdum auxilio ſunt, ad vires æquandas: Spectatores aliquando ſegregatoſque agentes exitum belli opperiuntur. Nihil ea cunctatione periculoſius, recidente ſæpe in illos ira victoris, tamquam nocuiſſent, quia ceſſaverant, Livius l.25. *Nam quod optimum eſſe dicant, non interponi nos bello, nihil tam vanum, imo tam alienum rebus veſtris eſt; quippe ſine gratia, ſine dignitate præmium victoris eritis*. Diſcordiam breviter ſed graphice expreſſit Virgilius l.8.

Et ſciſa gaudens vadit Diſcordia palla,

Quam

Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

Prolixius illam delineavit Petronius:

ſciſſo Diſcordia crine
Extulit ad ſuperos ſtygium caput; hujus in ore
Concretus ſanguis, contuſaque lumina flebant:
Stabant irati ſcabra rubigine dentes;
Tabo lingua fluens, obſeſſa draconibus ora;
Atque inter toto laceratam pectore veſtem
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.

Procul dubio hanc Diſcordiæ imaginem inſpexit Areoſtus, ex eaque delineavit ſuam.

La conobbe al veſtir di color cento,
Fatto a liſte ineguali, ed infinite,
Ch'or la cuoprono, or nò; che i paſſi e'l vento
Le giano aprendo, ch'erano ſdruſcite.
I crini avea, qual d'oro, e qual d'argento,
E neri e bigi haver pareano lite:
Altri in treccia, altri in naſtro eran raccolti,
Molti alle ſpalle, alcuni al petto ſciolti.

Vid. Tit. *Seditio*, *Factio*.

DURISSIMUS. Enſis Villelmi comitis Incunismenſis cognomento Sectoris ferri. Ademar. Chronic. *Cum rege eorum Storim ſingulari conflictu deluctans, enſe curto, nomine Duriſſimo, quem Valander faber cuderat &c.* Quamobrem vero præfatus comes Sector ferri vocaretur, tradit Author hiſtoriæ Engoliſmenſis: ſcribit autem, *Sectorem ferri nomen ſortitum, quia cum Normannis confligens,*

gens, enſe curto, Duriſſimo, corpus loricatum per medium ſtravit una percuſſione.

E

ECHINUS. Vide *Ericius*.
EDUCATIO. Vide *Inſtitutio*.

ELEPHAS. Adde in fine. Sed nec reticendum puto de elephantis funanbulis, licet id ad urbanæ decurſionis pompam potius, quam ad arenam Martiam pertineat. Memorantur a Plinio l. 8. *Elephantos adverſis funibus ſubiiſſe; quod quidem mirum fuit, ſed mirabilius exiſtimatum, cum retrograderentur, funibus utique pronis*. De iiſdem Seneca Epiſtola 11. *Elephantem mimus Æthiops jubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem*. Quæ Senecæ verba falſitatis redarguunt Svetonium in vita Galbæ ſcribentem. *Novum ſpectaculi genus elephantos funanbulos edidit*. Quomodo enim novum genus cum elephanti funanbuli viſi fuerint tempore Senecæ, qui, ante Galbam Imperatorem renunciatum, a Nerone interfici juſſus diem obiit? Sed fortaſſe non eos quomodolibet oſtendi, ſed ſpectaculo publice exhibitos novum fuit.

EQUITES Quinto & Nono Dalmatæ. Vexillationes erant Palatinæ in Imperio Orientali. Habemus ex Capitolino M. Antoninum ex Dalmatia evocaſſe milites. Sunt qui imperio Proconſulari adminiſtratam olim fuiſſe Dal-

Dalmatiam ſcripſerunt: Præſides eam habuiſſe certum eſt. Is Dalmatiæ Præſes Perfectiſſimus, non ut alii tradiderunt, Clariſſimus appellabatur: neque enim eligebatur ex Senatoribus, ſed ex Equitibus vel inferioribus. Propria eidem erant inſignia, miniſtrique attributi, nempe Cornicularius, Tabularii duo, Commentarienſis, Adjutor, Ab actis, Subadjuva, Exceptores, aliique, ut vocant eorum temporum ſcriptores, Cohortalini. Ex ea Dalmatiæ provincia adlectæ Turmæ in Vexillationes Palatinas. Et quoniam ſæpius inde cunei militares extrahebantur, qui tertio loco, quinto, ſeſto, vel nono cogebantur, nuncupati ſunt equites tertio, quinto, vel nono Dalmatæ. Affirmant alii novem Dalmatarum fuiſſe Scholas, & ab harum numero diſtinctas fuiſſe Vexillationes. Vide Pancirol. Not. Imp. Or. c. 34. & Occid. 44.

EVERSOR. Adde. Obſervo hujus vocis notionem aliam ex D. Auguſtino Confeſs. l. 3. 87. *Remotus omnino ab everſionibus, quas faciebant everſores (hoc enim nomen ſævum & diabolicum velut inſigne urbanitatis eſt) inter quos vivebam pudore impudenti, quia talis non eram, & cum eis eram, & amicitiis eorum delectabar aliquando, a quorum ſemper factis abhorrebam, hoc eſt, ab everſionibus, quibus proterve inſectabantur ignotorum verecundiam, quam perturbarent gratis illudendo, atque inde paſcendo malevolas lætitias ſuas. Quid ita-*

itaque verius, quam everſores vocarentur? Macri fratres, qui ſoli, quod ſciam, hanc hujus vocis uſurpationem notarunt, everſores hic exponunt decoctores, hoc eſt, qui bona dilapidant. Ad optimam Latii normam dicimus arcæ vel patrimonii everſorem. Sed Auguſtinus ſine addito, novo exemplo, vocem uſurpat. Nimis tenuis ad S. Doctoris mentem mihi eſt expoſitio Macrorum: præſertim cum nulla ibi fiat mentio de bonis utcumque conſumptis, nedum per venerem & popinas. Expono ibi everſores, ſodales inſignis nequitiæ, & impudentiæ, qui dictis improbis, factiſque nequioribus aliorum pudori inſidiantur, eorumque mores ingenuos labefactare contendunt, atque pervertere, ut eoſdem ſibi ſimiles efficiant. Hoc vitium mali dæmonis proprium optimo jure S. Doctor appellat.

Exbalisto, as. Plaut. Pſeud. *Ego hunc exbaliſtabo.*

Exemplum. Adde. Ut enim à corde, vel cerebro in reliqua corporis membra ſpirituum vitalis vigor diffunditur, ſic quæ a Principe vel Duce promanant exempla, milites ad paria informant, caſtra permeant, ardoremque imitandi in omnium pectoribus gignunt atque propagant. Veſpaſiani parſimonia ad univerſos ordines ſtatim pertinuit. Tacit. l. 3. Ann. *Præcipuus adſtricti moris author Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu*

cultu victuque. Obſequium inde in Principem, & æmulandi amor, validior, quam pœna ex legibus, vel metus. Ad eundem modum de Theodoſio ſcripſit Pacatus. *Tuæ Imperator epulæ menſis communibus parciores. Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parſimoniæ cultus inolevit; & quieſcentibus legum minis, ſubiit quandoque privatim ſui pœnitentia.* Exadverſum pravorum ducum exempla militiam univerſam continuo corrumpunt, eoque damnoſius, quo naturæ ductu procliviores in deterius ſumus. Revocat quidem animos à malefactis ſtudium honeſtatis; ſed adverſa virorum dignitate præſtantium exempla nativum pudorem detergunt, metumque in licentiam vertunt. Valer. Max. l. 9. c. 1. *Antiochi cæcam & amentem luxuriam exercitus imitatus magna ex parte aureos clavos crepidis ſubjectos habuit: argentea vaſa ad uſum culinæ comparavit, & tabernacula textilibus ſigillis adornata ſtatuit.* Quidni manipularii improbitate ducum proficiant ad nequitiam, cum vel pueri licentius habiti a parentibus ſiniſtra horum exempla confeſtim arripiant? Juvenalis. Sat. 14.

Si damnoſa ſenem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.

Nimirum ut idem Poeta addocet paulo infrà.

velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cum

Cum ſubeant animos authoribus.

Non in domeſtica tantum puerorum inſtitutione, aut in excolenda ſapientia, ſed in omni ingenua facultate locum habet, quod per omnium ora verſatur, Senecæ dictum: *Longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla*: cujus effati veram cauſam inſinuat Pacatus ad Theod. *Exaſperat homines imperata correctio, blandiſſime jubetur exemplo.* Ad condiſcendam gladiaturam miſſi tyrones, & illuſtris proſapiæ juvenes in excellentium ducum diſciplinam traditi, non tam id contendunt, ut multis præceptionibus, quam ut egregiis eorum exemplis ad armorum tractationem erudiantur. Virg. lib. 8.

tua cernere facta

Aſſueſcat, primis & te miretur ab annis:

Scriptorum allata teſtimonia ſuperat obſcuratque ſermo Divinus Eccleſiaſt. c. 10. *Secundùm Judicem populi ſic & miniſtri ejus, & ſecundùm Gubernatorem civitatis omnes inhabitantes eam.* Huic divinæ ſententiæ, tamquam ancillam, & pediſſequam profero Senecæ teſtimonium Agamemn. Act. 5. Sc. ult. ubi Clytemneſtra Electram filiam in virorum cœtu deprehenſam objurgat, & acrius ipſa, licet latenter & ironice a filia redarguitur, exprobrante matri fœdiſſima exempla adulterii, & interfecti conjugis. Et quoniam locus eſt tum graviſſimus, tum ingenioſe acuminatus, integrum libet exſcribere. Cly.

Cly. *Hoſtis parentis, impium atque audax caput,*
Quo more cœtus publicos virgo petis?
Electr. *Adulterorum virgo deſervi domum.*
Cly. *Quis eſſe credat virginem?* Electr. *gnatam tuam.*
Cly. *Modeſtius cum matre.* Electr. *pietatem doces.*
Cly. *Animos viriles corde tumefacto geris,*
Sed agere domita fœminam diſces malo.
Electr. *Ni forte fallor, fœminas ferrum decet.*
Cly. *Et eſſe, demens, te parem nobis putas?*
Electr. *Nobis? quis iſte eſt alter Agamemnon tuus?*
Ut vidua loquere; vir caret vita tuus.

Ex quibus verbis facili negotio perſpicis, illud etiam grave maximumque a deterioribus exemplis damnum accedere, quod locum adimat animadverſioni. Fruſtra quippe ſis, ac fortaſſe te deridendum objicias, ſi quibus tu vitiis laboras, ea in aliis ſuperciliosus arguas. Nemo enim ſui ſimiles & imitatores moleſte ferre, ſed potius amplecti & commendare conſueſcit. Juvenalis Sat. 3.

Quis Cœlum terris non miſceat, & mare Cœlo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni,
Claudius accuſet mœchos, Catilina Cethegum?

FAL-

F

FALCONARII. Sicilienſes ſunt milites, inter Auxilia Palatina imperii Orientalis, merentes ſub Magiſtro militum in præſenti. Dicti a Falconara Siciliæ fluvio. Duos angues columellæ implicatos, concordiam duorum imperantium notantes, geſtabant inſigne. Valerian. l. 15.

FELICES. Hoc bene auſpicato nomine ſatis conſtat inſignitam fuiſſe legionem Romanam tertiam, ab Auguſto inſtitutam, quæ in Norico Ripenſi agebat, ut refert Antonini Itinerarium. De ea Vopiſcus in Probo. *Recipe in fidem tuam legionem tertiam Felicem.* Alia ejuſdem appellationis legio, ex Thebaide contracta, in Italia ſubalpina apud Albigaunos duce S. Mauritio, contrucidata fuit a Maximiano, quoniam ſacramento ſe ex Gentilium ritu adſtringere detrectaſſet. Pancirolus refert Gulielmum Baldeſanum aſſeverare ſe in Thebæorum hiſtoria legiſſe eorum fuiſſe inſigne vellus aureum, quod Carolus Burgundiæ Dux pro ſuo ſymbolo poſtea accepit, in ſui erga eam legionem obſequii & amoris teſtimonium. Tranſiit poſtea ea teſſera in familiam Auſtriacam, qua etiamnum honeſtantur Equites Torquati aurei Velleris. Eadem Felicium appellatio notavit Auxilia Barbarorum in utroque Imperio. Felices Honorarios Honorius adlegit ex barbaris in fœdus receptis,

quos

quos ſuo donavit nomine. Felices alios Theodoſianos Iſauros, ut tradit idem ibidem Vopiſcus, in Auxilia retulit, et ſui nominis additione nobilitavit Theodoſius, poſtquam Probus, Iſaurii latronibus domitis, horum aliquos militiæ adſcripſit. Occurrunt præterea Felices Arcadiani ab Arcadio, teſte Cedreno, inſtituti. Et hi quidem omnes ad Orientalis Imperii Vexillationes & Auxilia pertinent. Leguntur poſtremo Seniores, & Juniores dicti Felices in Imperio Occidentali ſub præfectura Magiſtri militum in præſenti. Symbola prolixe digerunt Valerianus & Pancirolus.

FLAVIA. Legionis nomen in utroque Imperio, quæ variis Principum cognominibus innotuit. In Oriente cenſentur Prima Flavia Conſtantia, a Conſtantio Flavio, Conſtantini Magni filio, ut creditur, appellata. A Flavio quippe Conſtantino Magno conſequentes Principes prænomen Flavii acceperunt. De hac Ammian. l. 20. *Tuebantur hanc civitatem legiones duæ, Prima Flavia, & Prima Parthica.* Secunda Flavia Thebæorum, erecta a Conſtantino, a Cuſſa, Thebaidos oppido defenſo, dicta Conſtantia Thebæorum: De hac Ammian. eodem lib. *Ad cujus tutelam tres legiones ſunt deputatæ, ſecunda Flavia, ſecunda Armenica, & Parthica item ſecunda.* Prima Flavia Theodoſiana a Theodoſio inducta in Occidente numeratur. Prima Flavia Pacis, nuncupata a Pace Julia, Oppi-

do Hiſpaniæ, ex quo eſt educta: Nomen Flaviæ a Conſtantino. Secunda Flavia Virtutis, ab alio Hiſpaniæ Oppido, cui Virtutis nomen, vocata. Tertia Flavia Salutis, a Salute Julia, altero Hiſpaniæ oppido. Flaviæ Victrices Conſtantinæ. Prima Flavia Metis, dicta a Mediomatricibus, vulgo *Metz*, quod eſt Lotharingiæ oppidum. Harum omnium legionum inſignia profert Pancirolus. Nec ſolùm labente Imperio, ſed a primis etiam ejus temporibus legiones aliquot hoc nomine inſignitæ fuerunt. Vaillantius in nummis Coloniarum agens de Veſpaſiano hæc habet: *Veſpaſianus tres legiones inſtituit, II. Auxiliariam in Germania, IV. Flaviam Felicem in Syria, XVI. Flaviam Felicem Fidelem in Germania inferiore*. Alias non paucas invenies apud Grutherum in Theſauro inſcriptionum.

FORTITUDO. Adde poſt num. 1. Fallitur etiam vehementer quiſquis fortitudinis decora nimis anguſte circumſcribit intra laudes vel expugnatarum arcium, vel cæſi exercitus fugatique. Potiſſima fortitudinis pars merito ducitur firmo indejectoque animo occurrere adverſis caſibus, qui nuſquam acrius quam in bellica adminiſtratione crebreſcunt. Mihi profecto Hippolyta & Harpalice fortior eſt Andromache apud Senecam Troad. cum pectore plus quam virili Aſiatici Imperii occaſum, ſuæque gentis excidium ſuſtinet, & Aſtyanactem filium ad

præ-

præſentis fortunæ ſervilem habitum pari fortitudine tolerandum hortatur:

ſubmitte manus,
Dominique pedes ſupplice dextra
Stratus adora; nec turpe puta
Quidquid miſeros fortuna jubet.
Mitte ex animo Reges atavos,
Magnique Senis jura per omnes
Inclita terras: occidat Hector:
Gere captivum.

Herculis porro æmulator ille Theſeus non minus fortem ſe geſſit, ſedate & conſtanter audito per nuncium, toleratoque funeſto obitu Hippolyti filii quam tot exciſis monſtris. Idem Seneca Hippol.

Ne metue clades fortiter fari aſperas;
Non imparatum pectus ærumnis gero.

Profecto tragica magis ſed viro forti digniſſima ſunt, quibus, imminente gladio viliſſimi proditoris, ſe ipſum hortatur Pompejus apud Lucanum l.8.

Facta tibi longæ fluxerunt proſpera vitæ;
Ignorant populi, ſi non in morte probaris,
An ſcieris adverſa pati; ne cede pudori,
Authoremve dole fati.

Audacius aſſurgit Seneca de Provid.: nec vero conſtantiam ſolum in rebus adverſis depoſcit, ſed negat felicem quemquam eſſe poſſe, ſine experimento miſeriæ. *Miſerum te eſſe judico, qui nunquam fueris miſer: tranſiſti ſine adverſario vitam. Nemo ſcit quid potueris, ne tu quidem ipſe. Opus eſt ad tui no-*

titiam experimento. Quid quiſque poſſet, non niſi tentando didicit. Indignos vita judicat, quibus omnia fluxerunt ex voto, & occaſio defuit ut Fortunam aliquando vincerent: nec verò adverſæ, ſed propitiæ Sortis eſſe ignem experiri in Mutio, paupertatem in Fabritio, exilium in Rutilio, tormentnm in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Senecæ populari ſuo Lucanus l.9. ſuum addit ſuffragium:

ſerpens, ſitis, ardor arenæ
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris:
Lætius eſt, quoties magno ſibi conſtat, Honeſtum.

Reddit Seneca Lucano vicem in Thyeſt.

magnum ex alto
Culmine lapſum, ſtabilem in plano
Figere greſſum; magnum, ingenti
Strage malorum preſſum, fracti
Pondera regni non inflexa
Cervice pati; nec degenerem
Victumque malis, rectum impoſitas
Ferre ruinas.

Sed ſatis teſtium & exemplorum in re compertiſſima, ut intelligas non debilitari rebus aſperis, & obluctando vincere Fortunam repugnantem, fortioris animi eſſe, quam vel aheneas munitiones diruere, & armatorum myriadas gladio metere.

FULMEN. Fit a *Fulgo*, ut docet Varro, a cujus ſupino *fultum* habemus fulmen, ut a *notum*, *nomen*, & alia non pauca hujus generis. Cic. lib.

lib. 2. de Div. eſſe fulmen docet, *Si nubium conflictu ardor expreſſus ſe emiſerit*. Fulmen proinde dicimus exhalationem ſiccam, & calidam, quæ compreſſa nubibus incenditur, tum diſrupta decidit ingenti cum impetu. Diſtingunt nonnulli fulmen, & fulgur; & illud exhalationem ipſam ignitam, hoc ſplendorem fulminis, ſeu coruſcationem vocant. Plinius l.45. 15. videtur ſic a fulmine fulgur ſecernere, ut illud decidens impetum in terram faciat, hoc autem ſolum petat feriatque aerem, ſed plane vana hæc diſcrimina, ſi immobilia & ſemper obſervata ſtatuantur. Virg. Georg. 1.

Non alias cælo ceciderunt plura ſereno
Fulgura.

Sveton. Domit.15. *Continuatis octo menſibus tot fulgura facta, nunciataque ſunt, ut exclamaverit; feriat jam quem volet*. Sed & apud Romanos, imo etiam facile apud antiquiores Etruſcos libri dicti Fulgurales a condendo fulmine, quod eſt certis ceremoniis ſub terra defodere, quæ a fulmine tacta ſunt; de quo ritu vide Lucanum l.1. Ignem a fulmine in terris fuiſſe primum propagatum author eſt Lucretius l.3.

Fulmen detulit in terras mortalibus ignem
Primitus, inde omnis flammarum decidit ardor.

Sed nihil neceſſe eſt a celeſti flamma originem, & nobilitatem accerſere igni noſtrati: quod etiam audacius Mythologi commenti

ſunt in Prometheo ſuo, qui primis mortalium ignem monſtraverit, clam ad ſolis currum ferula admota, direptum. Satis ſuperque ignium atque flammarum noſtri eructant montes ignivomi. Habemus pyrites, lapides igniarios, item ligna non unius generis, quæ attritu, flictuque ſcintillas excludunt. Longe etiam facilius, quam ſectantes furta Promethei, ſpeculis criſtallinis vel chalybeis ſolis radios per reflexionem accipimus, ignemque eo pacto propagamus. Præcipitem impetum & rapidam fulminum ejectionem explicare ſolent viri docti comparatione tormenti, vel aquæ in ſyphone compreſſæ, atque inde vehementi impulſione erumpentis. Mihi fulminis eruptio imago quædam eſt cuniculi militaris. Ut enim pulvis tormentarius, igne admoto incitatus, obvia quæque diffringens exilit, ita vapores craſſi, ubi ſe denſius adſtipant in nube, igne concepto diſſiliunt. Neque vero apertius aliter expoſuerim terræ motuum violentiam. Sive enim ignis, ſive aquæ, ſeu potius aeris illa ſit conſtipatio, ad eandem cuniculi formam ea fit, non hominibus ſolum, ſed integris quandoque urbibus, atque adeo regnis exitioſa concuſſio. Verum hæc per otium Meteorologici. Nos ad militaria progredimur. Fulmen telum eſt, unum omnium nocentiſſimum; ideo a Poetis Jovi deorum maximo attributum præcipuo quodam modo. Nam Plinius

nius undecim deos ex veterum diſciplina, tres apud Romanos Jovem, Saturnum, & Martem uſu fulminum donat. Alii diurnum fulmen Jovi, nocturnum Summano aſſignarunt. De Junone, Pallade, Vulcano, atque adeo Plutone ipſo fulmineo, vide quæ habet Ludovicus de la Cerda ad illud Virg. Æn. 1.

Ipſa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem.
Deos enumerans qui fulminis jacendi poteſtatem habent, eam facultatem Junoni etiam attribuit teſtimonio Actii apud Servium. Sed quod addit ex proprio fundo, adducto Statii loco Theb. l. 1.

mea fulmina torques,
longe aliter eſt exponendum. Arguit ibi Jovem Juno, & de ejus concubitu cum Semele conqueritur; ait autem Jovem torquere ſua fulmina, ideſt ſibi debita, & quæ ſibi ſolum nota eſſe deberent. Notum eſt, inter innumera fluminum genera recenſeri Nuptialia, a quibus ſumuntur auſpicia connubiis præſertim Heroum. Virg. Æn. 4.

fulſere ignes, & conſcius æther
Connubii.

Claudian. de Rap. Proſerp.

niſi Juppiter æthere ſummo
Pacificas rubri torſiſſet fulminis alas,
Confeſſus generum; nimbis Hymenæus hiulcis
Intonat, & teſtes firmant connubia flammæ

Sed nec niſi inter fulminis coruſcationes Junonis amplexu Juppiter fruebatur. Vide Animad. Barthii ad Statii Theb. lib. 1. Præcipuus apud Jovem uſus fulminum adverſus ſtolidè feroces, & ſuarum virium ſuperbos oſtentatores. Experti Gigantes, de quibus Virg. Georg. l. 1.

Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam,
Scilicet atque Oſſæ frondoſum involvere Olimpum:
Ter Pater extructos disjecit fulmine montes.

Idem Eneidos l. 6.

Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.

Vim cæleſtis jaculi ſenſit Capaneus, Jovis deriſor arrogans, in oppugnatione Thebarum: Nam ut habet Statius l. 10.

Talia dicentem toto Jove fulmen adactum
Corripuit.

Capaneum verbis ſolum minantibns inſanientem ſuperavit factis, & ipſius fulminis fatua imitatione Salmoneus: ſed audi Virgilium l. 6.

At Pater omnipotens denſa inter nubila telũ
Contorſit (non ille faces, nec fumea tædis
Lumina) præcipitemque immani turbine adegit.

Horatius, qui cum Epicuro nullam rerum humanarum procurationem habere Deos exiſtimabat, ad ſanius opinandum permotus eſt coruſcatione fulminum & tonitruum ſonitu. Sic enim ſcribit l. 1. 34.

Par-

Parcus Deorum cultor & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro, nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos: namque Dieſpiter
Igni coruſco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum.

& Od. 5. l. 3.

Cælo tonantem credidimus Jovem
Regnare..

Poſtremo qui, reboante tonitru, exciti metu ruituri fulminis, titubante veſtigio expallent, a licentiori anteácta vita reſipiſcere, & ad meliorem mentem ſolent redire. Juvenal. Sat. 13.

Hi ſunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.
Cum tonat.

Addendum de loco idoneo & miniſtris fulminis procudendi ex mythologia Veterum. Animadverterunt montem Ethnam in Sicilia flammas ingenti cum murmure eructare: Inſulas etiam aliquot non procul ab eadem Sicilia, Liparim præcipuè, jactis ignibus effervеſcere. Nihil moræ proinde fuit, quo minus ea in regione continuo locarent Vulcanum, quem ignis, aut certe artium, quæ per ignem exercentur, repertorem mentiti ſunt. Juvenalis Sat. 13.

ſiccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.

Pe-

Petrarcha.

Le braccia alla fucina in darno move
L'antiquiſsimo fabro Siciliano;
Ch'a Giove tolte ſon l'arme di mano,
Temprate in Mongibello a tutte prove.

Virgilius l.8. de alia inſula prope Siciliam, quam eruditiſſimus de la Cerda evincit Hieram eſſe, alio nomine Vulcaniam nuncupatam.

Inſula Sicanium juxta latus, Æoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua ſaxis,
Quam ſubter ſpecus, & Cyclopum exeſa caminis
Antra Æthnea ſonant, validiſque incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, ſtriduntque cavernis
Strictura chalybum, & fornacibus ignis anhelat;
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

In ejuſmodi officina fabricando fulmini, aliiſque deorum armis, à Vulcano exſudatur labor. Petrarcha:

Soſpira e ſuda all' opera Vulcano,
Per rinfreſcar l'aſpre ſaette a Giove.

Hujus miniſtri, ſeu potius famuli ſunt Brontes, Steropes, & Pyrachmon, quorum prior notione Græcæ appellationis tonitru, poſterior fulgur, poſtremus ignem ſonat. Innumera fere fulminum genera referuntur a Scriptoribus, mitia, ardentia, cremantia, regalia, nuptialia, peremptoria. Vide Sene-

necam Quæſt. natur. l. 2. 17. Plin. l. 2. 43. Lucret. l. 6. Ovid metam. l. 3. In eorum gratiam, qui Latina vocabularia augendi procurationem habent, adverto fulmen præter notam ſignificationem igniti cæleſtis jaculi, notare etiam fulmentum, fulcimentum, fulcrum, & quod Vitruvius, à Græcis mutuato vocabulo eriſma appellavit. Non eſt id animadverſum etiam in noviſſimè excuſis Dictionariis. Legitur apud Manil. l. 2.

Imaque ſubmerſi contingens fulmina mundi.

Ubi procul dubio fulmina ſunt fulcimenta, ut recte obſervavit Scaliger in notis ad ejus Poetæ Aſtronomicon.

FURIÆ. Adde poſt illum verſiculum

Ogni reo per terror fora innocente.

Has vero eſſe Furias, occultis facibus præcordia eorum torquentes, qui ſibi male ſunt conſcii, clare docuit vel in obſcura degens ſuperſtitionis caligine Cicero, cujus illa ſunt verba pro Roſcio Amerino: *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumero videtis, eos, qui aliquod impie ſcelerateque commiſerint, agitari, & perterreri Furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, & ſuus terror maxime vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſuæ malæ cogitationes conſcentiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque pene furiæ.* Hinc diurna ſpectra, & occurſacula, nocturnique terrores, qui pavitantes percellunt. Hinc illæ apud Horatium circum laqueata tecta vo-

volantes Curæ, quæ ſomnos adimunt; hinc unguibus, roſtroque minaci furens Celæno Virgiliana, ex ipſo ore miſeram eſcam divellens. Senſit verbera Chlamydatus ille, de quo Tacitus Annal. 15. *Tacitorum recordatione nunquam timore vacuus*. Senſit Regius Cantor teſtatus Pſal. 51. *Peccatum meum contra me eſt ſemper*. Senſit demum acerbiſſime Cain Geneſ. 4. *Ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me*. Hic eſt vultur facinoroſorum fibras depaſcens, gravius quam Ptomethei pectus, aut Titii viſcera, de quo Virgilius l. 6.

roſtroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens, fœcundaque pœnis
Viſcera, rimaturque epulas, habitatque ſub imo
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Utque a Furiis non diſcedam, hæc vera eſt Alecto, quæ non in Amatæ, ſed in ſceleſtorum hominum pectora, ut ait Virgilius l. 7.

cæruleis unum de crinibus anguem
Coniicit, inque ſinum præcordia ad intima ſubdit.

G

GAUDIOSA. Enſis Caroli Magni. Vide *Durenda*.

GEMINA. Legio Romana, ſic appellata quoniam conflata eſſet ex duabus, quæ a ſuo numero defecerant. Alia fuit Septima Clau-

Claudia, Pia, Fidelis; alia Decima Gemina, qua uſus in Gallia C. Cæſar; eamque in amoribus præcipuæ habuiſſe, propter fortitudinem ac fidei laudem, idem non ſemel prædicat in Commentariis. Poſterior tempore alia Septima una erat ex Comitatenſibus in Oriente, & in Parma cærulea geſtabat luteum orbem, duplici circulo alligatum, quo a concordia duorum Principum ſervatus Orbis indicabatur.

GIGANTOMACHIA. Pugna Gigantum. Titulus eſt apud Claudianum in Carmine ſingulari de Gigantum pugna.

GORGOPHORUS, a, um. Epitheton peculiare Palladis, in cujus ſcutum inſerta erat Meduſa, quæ Gorgon etiam eſt appellata.

H

HAZARDI ludus. Sic appellatum invenio aleæ ludum origine vocis militari, apud Villelmum Tyrium, relatum ab Antonio Monacho Pariſino apud Menagium in voce *Azardare. Notabo in tranſcurſu vocari vulgo a noſtris jeu d'hazard militari nomine, ut attingit Villelmus Tyrius l.7.c.3., & l.17.c.10. Belli ſacri, cum ſcilicet transfretarent Chriſtianæ acies ad dejiciendos Syria, Palæſtina, ac Judæa Barbaros, & convenirent ad munitiſſimum Syriæ Caſtellum, captum a Francis, cui nomen Haſarth: tantaque frequentia, ut ludus Hazardi diceretur de more inter milites ludus alea-*

aleatorius. *Ita vidi ſemper conjicere & ſentire Eruditiores ad eam Tyrii obſervationem*. Fides ſit penes commemoratum Monachum. A Villelmo Tyrio nihil de hac origine ſcriptum eſſe contendit Menagius. De origine vocis *Azzardo* vide apud nos *Zarabotana*.

HEXAPEDA, æ. Latine menſura ſex pedum. Vocabulum eſt a Milliet de Chales & Neotericis in caſtrametatione, & re munitoria frequentiſſime adhibitum. Gromatici veteres perticam dicebant, quæ tamen amplior, aliquando erat menſura in dimenſione agrorum atque caſtrorum. Vid. *Groma*.

HITRIX. Vide *Ericius*.

I

INCILIA. Adde. Nota ejuſmodi inciſiones originem traxiſſe ab Ægyptiis. Cum enim Nilus nimia aquarum affluentia agros inundaret, certiſque in locis limo ſtagnante ſubſideret, in aliis agris ob aquæ inopiam ceſſante cultura, erecti ſunt perpetui aggeres, quorum beneficio humor difflueret, & æquata diffuſione campos illueret atque compleret.

INSTITUTIO. Optime monet Varro, obſtetricem educere, nutricem educare, pædagogum inſtituere. Terentius Andr. Educere dixit pro *educare*. *Eduxi a parvulo*, *habui*, *amavi pro meo*. Quanti momenti ſit proba inſtitutio ad vitam cum laude traducendam egre-

egregio commonſtravit exemplo Lycurgus, quem, ut refert Plutarchus, eduxiſſe memorant apud Spartiatas duos catulos, eodem fœtu procreatos, quorum alterum domi victu molli delicatoque nutrierat, venatibus alterum exercuerat; lautis poſtea eduliis in foro propoſitis, ſimul leporem immiſiſſe. Nimirum ad aſſueta uterque, alter ad molliorem eſcam, alter ad invadendum leporem convolavit. Tum Lycurgus, videtis inquit, Cives, quantum in eodem partu natis diſpar poſſit inſtitutio. Nimirum ſuperat ſæpe naturam educatio; dictumque ſapienter eſt ab Ariſtotele apud Laertium, majorem ſæpe gratiam habendam eſſe inſtitutoribus, quam parentibus, cum his vivere, illis bene vivere debeamus. Non abludit reſponſum Socratis ſciſcitanti, cur non capeſſeret regimen Civitatis, cujus tam præclarus eſſet inſtitutor; Quoniam, inquit, utilius eſt plures idoneos facere ad gubernandum, quam vel rectiſſime gubernare. Ut enim nulla tam infelix eſt arbor, quæ, cultura accedente, ferendis fructibus non proficiat, nulla tam ferox bellua, quæ domitoris arte non manſueſcat, ita nullum ingenium tam hebes, pravumque eſt, ut diſciplinam aliquo proventu non ſentiat. Præſtat id rudis ipſa ætas & mollior, quæ fingentis manum, non ſecus ac uda & madens argilla, admittit, & ſequitur. Hinc Horatii hortamenta ad ferendos a puero labores

bores bellicos: Vide Oden. 2. l. 3. Hinc Peleus Achillem Chironi committens apud Valer. Flacc. Argon. l. 1.

te parvos lituos & bella loquentem
Miretur; ſub te puerilia tela magiſtro
Venator ferat, & noſtram feſtinet ad haſtam.

In eandem ſententiam Virg: l. 8.

Hunc tibi præterea, ſpes & ſolatia noſtri,
Pallanta adjungam: ſub te tolerare magiſtro
Militiam, & grave Martis opus; tua cerne- re facta
Aſſueſcat, primis & te miretur ab annis.

Adde Virgilii imitatorem Silium l. 4.

Te Duce primitias pugnæ, te magna magiſtro
Audeat.

Exempla militaria accipe pauca de multis. Quam duræ, imo horridæ Lycurgus pueritiam inſtituerit, prolixe tradit Plutarchus in ejus vita, & ſæpe alibi. Victu illam cultuque tenui, natatu in amne rigido, curſu ad Eurotam, pugilatu, aliiſque corpuſculorum exercitamentis ad laborem firmavit. Æque laborioſam Perſarum inſtitutionem multis proſequuntur Strabo, & Xenophon in pædia Cyri. Eos ad panem & fluentem aquam pro cupediis naſturtium addere conſueviſſe notum eſt. Quam aſpere Lucani alerentur Juſtinus l. 23. tradit his verbis. *In ſilvis inter paſtores habebantur, ſine miniſterio ſervili, ſine veſte quam induerent, vel cui incubarent; ut a primis annis duritiæ parſimoniæque ſine ullo uſu urbis aſſueſcerent. Ci-*

bus

bus his præda venatica, potus mellis & lactis, & e fontibus liquor erat. Nihilo minus Germani, indomito feroque cultu, ut frigus æſtumque ferre aſſueſcerent, iiſdem amiculis æſtate & hyeme utebantur: tum ſilvas excurrere, duriſque certaminum ludicrorum laboribus atteri, acceptiſque vulneribus cruentari, ut nihil acerbius hiſce præludiis militia, ad quam exercebantur, habere potuerit. Vide Tacit. de Mor. Germ. Aſpera inprimis, atque adeo immanis Hibernorum infantium educatio, de qua Solinus c. 35. *Puerpera ſi quando marem edidit, primos cibos gladio imponit mariti, inque os parvuli ſummo mucrone auſpicium alimentorum leviter infert, & gentilibus votis optat, non aliter quam in bello, & inter arma mortem oppetat.* Æthiopes ſuper vaſtæ molis aves patrias pueros imponebant; educaturi, ſi volatum ſtrenue ferrent, abjecturi, ſiquid pavoris oſtenderent. Longe crudelius Pſylli eoſdem ſerpentibus objectabant, ut gentis originem ab angujum morſibus non metuentem explorarent: eodem experimento de pudicitia matrum, & natorum vigore periculum facientes. Lucan. l.9.

in terram parvus cum decidit infans,
Nequa ſit externæ veneris mixtura timentes,
Lethifica dubios explorant aſpide partus.

Quidni vero maximi ſit momenti, ut Virgilius loquitur, in teneris conſueſcere, cum bruta etiam, ſi recens natis deſit diſcipli-

na, nulla laude conſeneſcant? Horat. l. 1. epiſt. 2.

Fingit equum tenera docilem cervice magiſter
Ire viam, quam monſtret eques: venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in ſilvis catulus.

Pſittaci, teſte Apulejo 2. Florid. 25. niſi primo biennio doceantur, ſermonem noſtro ſimilem non addiſcunt, ideoque ſenes non capiuntur, quoniam indociles & oblivioſi ſunt. Licet autem ad omnem facultatem inſigniter profitendam nimium quantum conducat a pueris eam condiſcere, id tamen in arte militari curatius eſſe obſervandum ipſa diſciplinæ monet arduitas, qua, ut nulla exercetur majori cum laude, ita nulla gravioribus incommodis & periculis obſidetur. Veget. l. 4. *Incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat: non enim tantum celerius, ſed etiam perfectius imbibuntur, quæ diſcuntur a pueris*. In primis dignum memoratu eſt axioma Caſſiodori l. 1. epiſt. 24. *Producite juvenes veſtros in Martiam diſciplinam; nam quod in juventute non diſcitur, in matura ætate neſcitur*. Vide *Venatio*. 1. *Tyro*. *Exercitatio*. *Labor militaris*. *Palus*.

INTERNECINUS, a, um. Adde. Iſidorus. 18. 2. *Duobus generibus deletur exercitus, aut internecione, aut diſperſione*. Vocis Etymon a *nex*, cujus origo a Græcorum, νεκύς mortuus.

tuus. Hinc Necromantia, genus vaticinii, quod ſiebat evocatis mortuis, & fere ad occiſi cadaveris præſentiam vel memoriam. Vulgo inepte corrupteque *Negromanzia*, quaſi nigra ars, exercita commercio mali dæmonis. Iſidorus. 8.9. *Necromantici ſunt, quorum præcantationibus videntur reſuſcitati mortui divinare, & ad interrogata reſpondere*. Idem addit, quo facilius ſuſcitentur, adjici ſolere cadaveris ſanguinem, vel cruore aquam miſceri, quod ſanguine delectari mali Genii ferantur. Lycophron Necromantem appellavit Tireſiam, quod evocatis mortuis vaticinaretur. Ab eadem nece, quæ mortem notat per vim obitam, & fere ferro, dictæ ſunt Denicales feriæ, de quibus Columella, & Gellius meminere. Sic autem appellatæ, quaſi de nece, ideſt propter mortem fierent. Feſtus: *Denicales feriæ colebantur, cum hominis mortui cauſa familia purgabatur*. Falluntur proinde, qui a vocabulo *denus* appellatas ſcripſerunt, quaſi decem dierum ſpatio fierent: conſtat enim triduo tantum fuiſſe celebratas. Poſtremo a nece fit *pernicies*, & propius a *perneco*, pro quo *pernico* antiquitus dictum, ex quo commemoratæ feriæ Denicales. Eſt autem proprie pernicies exitium, vel damnum morte illatum. Fronto: *Periculum contra quomvis rem timetur, pernicies contra necem*.

JOCOSA. Enſis Caroli Magni, dictus a Turpino Invincibilis. Geſta Philippi III. Regis

Francorum tradunt eum enſem aſſervari ſolitum cum aliis regiis inſignibus in Eccleſia B. Dionyſii. Eundem enſem a poſterioribus Franciæ Regibus in die ſolemnis inaugurationis, a viro illuſtri præferri ſolitum per hæc verba referunt eadem Geſta. *Et quoniam a tempore Caroli Magni, Regis Franciæ, & Imperatoris Romanorum conſuerunt Reges Franciæ Jocoſam ſpatham prædicti Caroli Regis & Imperatoris, in die Coronationis ſuæ, dum celebratur prædictæ Coronationis officium, in memoriam tam victorioſiſſimi Principis, a quodam de Nobilioribus ante ſe facere teneri & deferri, illam Roberto Comiti Atrebatenſi, conſanguineo ſuo, militi probatiſſimo, tradit ea die deferendam.*

Isauri, & Prima Iſaura. Vide *Felices*.

Italica. Prima Italica & Quarta Italica. Legiones erant Pſeudo Comitatenſes, quæ merebant ſub Magiſtro militum per Orientem. Utraque dicta ab Italica, oppido Hiſpaniæ Bæticæ. De prima Italica Tacit. l. 18. *Viceſima, Rapax, & Prima Italica inceſſere cum vexillariis trium Britannicarum legionum, & electis auxiliis*. Utriuſque ſymbola producit Pancirol. c.4. Legitur etiam cohors Italica, merens in Syria, ex qua Cornelius Centurio primus Gentilium Fidem Chriſtianam profeſſus eſt. Sanctus Lucas Act. 10. *Vir quidam erat in Cæſarea nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica*. Præterea Italica legio & quidem multiplex habetur

betur in nummis Gallieni Imperatoris. Atque ut docet Vaillantius in numm. non ſolùm Nero Italicam legionem conſtituit, ſed etiam M. Aurelius.

L

LANCEARII. Adde. Ubi Lancearii ſunt legio Palatina, ſic appellata, quoniam uteretur ſariſſis longioribus, & levioribus, more Macedonum. Leguntur militaſſe tum apud principes Orientalis Imperii ſub diſpoſitione, ut ajunt, Magiſtri militum in præſenti, tum apud Occidentalis Imperii Principes, apud quos pro varietate regionum, ex quibus extrahebantur, diverſas appellationes ſortiti inveniuntur: dicti nimirum Sabarienſes, Gallicani, Lauriacenſes, Comagenenſes. Pro inſigni, in lutei coloris clypeo luteum orbem, luteo item circulo incluſum, geſtabant; quo ſymbolo inſinuabatur, Romanum Imperium unum eſſe atque perpetuum.

LEGIO. Adde ad finem Sectiunculæ 2. ad illa verba *apud Hiſtoricos*. Legionum nomina crebreſcunt magis per poſteriora tempora utriuſque Imperii. Hujuſmodi ſunt Lancearii ſeniores, Joviani juniores, Herculiani ſeniores, Fortenſes, Nervii, Mattiarii juniores, Daci, Scithæ, Primani, aliæque magno numero pro temporum diverſitate, quæ ſuberant Magiſtro militum præſentali.

 Re-

Recenſentur omnes in libello, qui inſcribitur *Notitia utriuſque Imperii*; & quædam a Pierio Valeriano l. 15. Omnes accurate referuntur & illuſtrantur a Pancirolo in comentariis ejuſdem libri. Nos celebriores ſuis in locis adducimus. Recenſere omnes non eſt operæ, cum pleræque eadem Inſignia & obvias Originationes habeant. Id inſuper dictum volo de adnumeratis ab eodem libello utriuſque præfati Imperii Vexillationibus & Auxiliis.

Liburnæ. Adde verſus finem poſt illa verba *Salaminias, Punicas*. Nec proinde negligendum eſt teſtimonium Zoſimi Hiſt. l. 5. relatum a Cluverio Ital. Ant. l. 2. affirmantis Liburnarum nuncupationem haberi a Liburno, aliis Ligurno, Antiquis Labione, quod eſt illuſtre Hetruriæ oppidum ad mare Tyrhenum, idemque ſummæ celebritatis Emporium, ad ingenium & præſcriptiones Architectonicæ militaris noſtrorum temporum egregie communitum. Verba Zoſimi ſunt. *Claſſem quoque non negligebat; quippe navium habebat numerum, qui committendo navali prœlio ſufficeret. Eas Liburnas vocant, ab oppido quodam in Italia ſito ſic nominatas, ubi ad eā formā naves initio fabricatæ fuerunt.*

Limitanei milites. Adde: ſummi momenti apud Romanos habita ſemper fuit cuſtodia limitum, in quibus defenſandis ab incurſionibus Barbarorum Imperii conſervationem conſtitui ſapienter crediderunt. Pervidit

id cavitque ſtudioſe Auguſtus, cum relictis populo Romano pacatis provinciis, retentiſque ſibi provinciis gentium barbararum, quarum laborioſa magis & ardua erat adminiſtratio, novem præcipue limites cuneis militaribus defendendos inſtituit. Sed cum novi ſubinde hoſtes negotium faceſſerent, conſequentes Cæſares alios alioſque limites addidere. Tredecim deſcripti, Alexandro imperante, leguntur apud Dionem: quinque & viginti in ſolo Oriente numerantur in Notitia Imperii. Limites defenſi ab octo & quadraginta legionibus cum alis equitum, cohortibus peditum, & auxiliis; quæ militia Ripenſium & Lembariorum nomine occurrit frequenter apud ſcriptores. Nam fluviatiles etiam claſſes aderant præſidio, præcipue ad Iſtri Rhænique ripas. Procopius: *Romani olim Imperatores, ut Barbaris ultra fluvium Iſtrum habitantibus tranſitum præcluderent, univerſam ripam hujus fluminis propugnaculis vallarunt, non ea quidem ratione extructis, ut ab irruentibus expugnari nequirent, & forent inacceſſa; ſed ut ripa fluminis virorum cuſtodia non vacaret, quod tum ſatis erat ad deterrendos Barbaros, ut caverent ab incurſu in Romanos*. Diocletianus præ cæteris, teſte Zoſimo l.8. caſtris caſtelliſque ad limites excitatis, Provincias Romanas valide communivit. Ea caſtra & Caſtella Burghorum, & Clauſurarum nomine ſæpe leguntur. Hinc originem habes appellatio-

nis magno numero oppidorum, quæ Caſtri, Caſtelli, & Burgi nomina etiam nunc retinent; præſidiis vero plerumque denudata Veterum diligentem curam oſtendunt, inertiam noſtram accuſant. Hujus generis munimentis per certa terrarum intervalla diſpoſitis, diu incolumi tutaque utriuſque Imperii amplitudine agitatum. Verum Conſtantinus magno malo publico militum incommoda & conditionem miſeratus, quod Clauſuris illis tumultuariis, & fere ſub pellibus agerent, Cuſtodias limitaneas a Caſtellis Burgiſque, ad inhabitanda finitima oppida tranſtulit. Nimirum per eam opportunitatem, ab aſſidua exercitatione, vigiliis, victuque parce dimenſo, ad urbanas delicias, otium, & voluptates devexi milites, enervati feroces animi, omniſque veteris diſciplinæ vigor elanguit. Aditus hinc patefactus Barbarorum irruptionibus per limites præſidiis denudatos, oppidorum utique præſidiariis deſidia corruptis, & minimum de publica ſecuritate ſollicitis. Nullo apertius documento patuit, quanti referat militares copias ab aſſuetis laboribus non abſtrahere, & nihil habere magis perſuaſum, quam frugalitate & parſimonia contineri diſciplinam caſtrenſem; quæ ſi paulo remittatur, confeſtim per ſocordiam hebetantur animi, maximiſque impendiis contracti exercitus detentique labefactatam evertunt, quam aſſerere debuerant, incolumitatem publici ſtatus. Lu-

LUDUS Matutinus, Gallicus, & Dacicus. Alibi obſervavi quam ob cauſam Scholæ exercitationum variarum ludi dicerentur. Romani Scholas ſive domos ad gladiaturam exercendam erectas, ludos vocabant. Apud Rufum, & Victorem Ludus matutinus, ut ludus Gallicus in ſecunda Urbis regione, Ludus Dacicus in tertia ponitur. Matutinus facile dictus a tempore gladiaturæ exercitæ, Gallicus & Dacicus a nationibus. De ejuſmodi ludis Herodian. l. 7. *Apertis gladiatorum ludis, atque unoquoque propriis armis ornato, ad caſtra contenderunt.* Valerius l.2.c.1. *Publius Rutilius ex ludo C. Aurelii Mauri, doctoribus gladiatorum accerſitis, vitandi atque inferendi ictus ſubtiliorem rationem ingeneravit.*

M

MAGISTRATUS virum oſtendit. Vetus verſique effatum, quod in imperio militari, propter exercitationem variam, præcipue locum habet. Magiſtratus atque regiminis ſplendida quædam eſt ſarcina, eo gravior, quo latius imperatur. Curt.l.7.*Magnum onus ſuſtines capite, regium inſigne. Hoc aut moderate perferendum eſt, aut, quod abominor, in te ruet.* Audi etiam Tiberium apud Tacit. Ann. l. 1. *Se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didiciſſe, quam ſubjectum fortunæ, quam arduum regendi cuncta onus.* Præ-

terea

terea pudore metuve cælata prius vitia detegit Magiſtratus, quemadmodum liquor inditus vitioſa prodit vaſa, cæteroqui ad ſpeciem nitentia. Eadem variata coloribus, auro illita, decipere oculos poſſunt; quod ſi attrectes pulſeſve, degeneri tinnitu rimarum hiatus fatentur. Perſ. Sat. 3.

ſonat vitium percuſſa, maligne
Reſpondet viridi non cocta fidelia limo.

Solis lunæque maculas nihil magis patefacit, quam loci ſublimitas. Occultabat Galbæ vitia privata conditio, quæ poſtea diducto ſipario aperuit principatus. Tacitus l. 1. Hiſt. *Major privato viſus, dum privatus fuit, & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet.* Idem Scriptor de Antonio Hiſt. l. 3. *Felicitas in tali ingenio avaritiam, ſuperbiam, cæteraque occulta mala patefecit.* Domitianum in adoleſcentia mire modeſtiam coluiſſe tradit Svetonius in ejus vita, cujus poſtea effrenatam licentiam imperium detexit. Plutarchus de Philippo. *Poſtquam ſecundo fortunæ curſu evectus eſt, erupit in pravas cupiditates, & nativa vitia ſimulationi contranitentia paulatim emergendo detexerunt ejus ingenium.* Quæ Leontius apud Suidam habet de Zenone tam ſimilia ſunt quam ovum, ovo. *Quibuſdam dubitantibus ingenium ex manſueto ſævum eſſe factum, Non mutavit inquit, naturam; ſed res ſecundæ declararunt improbitatem longo tempore metu diſſimulatam.* Ad hæc magiſtratus vitia, tamquam cinere ſo-

ſopitos ignes, non tam exſuſcitat, quam educit, creatque; vimque habet ad mores ſæpe detegendos, ſæpius immutandos. Neroni tam mite ingenium attribuit natura, ut coactus capite damnati ſupplicio ſubſcribere, exclamaverit: *Quam vellem neſcire literas*. Matrem tanta obſervantia coluit, ut Teſſerario nomen dederit *Optimam Matrem*; Senecam præceptorem, morumque cenſorem rigidum etiam in amoribus habuit. De cætero univerſoque ejus vitæ cultu ſuſpice Svetonii verba: *Ut certiorem adhuc indolem oſtenderet, ex Auguſti præſcripto Imperatorem ſe profeſſus, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occaſionem omiſit*. Tam læta præclaræ indolis auſpicia paulo poſt exercita rerum poteſtas commutavit in libidinem, avaritiam, crudelitatem nullis Hircaniæ Libyæque belluis comparandam. Non impari nequitia degeneravit Appius Claudius teſte Dionyſio Halicarn. l. 10. *Non permanſit in officio boni viri, auctus magiſtratu eximio; ſed incidit in ambitionem nefariam, corruptus poteſtatis magnitudine*. Pulchre & beate actum eſſet apud populos, ſi Principes nativa decora & dotes egregias cuſtodire ſciviſſent in principatu. Pudor, probitas, innocentia non ita paucis fruſtrà fuere, dum illis ad omne genus flagitiorum non prava indoles, non exempla facinoroſorum, ſed magiſtratus ipſe viam ſterneret, vireſque ſuggereret. Senec. Thyeſt.

Ut

Vt nemo doceat fraudis & ſceleris vias,
Regnum docebit.

Non equidem id ipſius regni vitio, quo nullum eſt ad laudem virtute parandam theatrum amplius, ſed propter opportunitatem licentiæ, & nocendi impunitatem, qua nulla præſentior ad omne ſcelus illecebra & incitamentum. Hinc ſuprema dominatio ſæpe habita tamquam Dictatoria poteſtas, cuique nihil non liceat, modo libeat. Senec. Hyppol.

Quod non poteſt, vult poſſe, qui nimium poteſt.

Leve præ his lentumque eſt illud DionisCaſſii l.36. *Magni honores, immodicæque poteſtates etiam optimorum animos ad faſtum extollunt, atque corrumpunt.* Penſiculate reputa quot victoriis terra, marique partis, quantiſque ſummi momenti beneficiis Romanam Rempublicam auxerunt Sylla, Marius, Julius Cæſar, cum privati agerent in toga & ſago. Verum iidem poſt quam ſummæ poteſtatis ſpecimen aliquod deguſtarunt, immenſo civium effuſo ſanguine, orbis Romani perturbatione perpetua, excidio patriæ, libertatis exitio ad ſupremum regimen velificati, memoria, notaque ſempiterni dedecoris Annales Latios funeſtarunt. Expende Athenienſis Reipublicæ duces Theſeum, Miltiadem, Themiſtoclem, Ariſtidem, Cimonem, quos viros, Deus immortalis! quam exaggeratæ virtutis pectora! quam illuſtres in om-

omnem poſteritatem exercituum ductores! Atqui eoſdem, poſt innumera maximaque in patriam promerita, teſtarum ſuffragiis ejici e civitate neceſſe fuit, quoniam elatiores ſpiritus gererent, quam ferret cujuſque privata conditio. Salutare igitur inprimis eſt monitum M. Antonini apud Herodian. l. 1. *Difficile eſt in ſumma potentia moderari ſibi, frenoſque injicere cupiditatibus.* Opportune Hiſtoricus frenos advocat, eoſque ſtudioſe adhibendos, ne poteſtas ad populorum tuendam incolumitatem tradita in eorum perniciem deſciſcat. Qui nam autem freni ſunt illi? reputatio ſummæ divinæque poteſtatis, ſupremique Judicis, malefactorum vindicis, aſſiduus & ſalutaris metus. Horat. l.3. Od.1.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis.

Brevius & ſplendidius Senec. Thyeſt.

Omne ſub regno graviore regnum eſt.

Sed nihil verius prolatum verbis illis apud eundem in Troad.

quoque fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
Hoc ſe magis ſupprimere felicem decet,
Varioſque caſus tremere, metuentem Deos
Nimium faventes.

MEGISTANES. Græcam vocem latinè reddas *Maximates*. Magnates ſunt, maximique regnorum proceres. Meminere Hesychius, & Suidas. Uſurpatum fere hoc vocabulum a Scri-

Scriptoribus, ubi de Aſiaticis Regulis eſt ſermo. Tacitus l. 15. *Megiſtanes Armenios, qui primi a nobis defecerant, pellit ſedibus.* Referunt eandem vocem Seneca Epiſt. 21. Svetonius in Galba c. 5. Quorum loca adducit Pitiſcus in Galba ibidem.

MANUCLA. Vitruvius l. 10. c. 15. *Chelo, ſive Manucla dicitur longitudo foraminum &c.* Pars eſt catapultæ, a manu tendenda ſic appellata, notatque nervum tenſione manus attractum. Nucem alii, alii clavem vocant.

MARGO foſſæ. Architecti militares foſſæ, vel valli marginem appellant, quod a propugnaculo & foſſa ſpatium interjacet, frequentatum Præſidianorum excurſu, & fulturis firmatum ad retinendos murorum lapſus, ne tormentorum crebra quaſſatione corruentes, foſſam compleant, ſed ibi decidentes conſiſtant. Ea cautione conſtruitur, ut, quantum fieri poteſt, ſit depreſſus & humilis infra campi planitiem, quo tutius protegat viam tectam, & indemnes reddat Præſidiarios a jaculis hoſtium. Vide Matthiam Dogen.

MARTENSES. Nomen Legionis Palatinæ Comitatenſis. Dicitur a Martenis, qui, Ptolemæo teſte, in Arabia felici prope Babyloniam agunt. Deducunt alii a Legione Martia; ſed hi Martii non Martenſes appellantur. Ammian. l. 26. *Petronius ex Præpoſito Martenſium militum promotus, repentino ſaltu Patricius.*

MA-

MAZARA, æ Aliis Matera. Vide *Materis*: neque enim aliud Mazara.

MODERATIO. Virtus eſt quam latiſſime pertinens ad mores componendos. Perficit, ut æquilibrium quoddam ſervemus in iis, quæ terrendi, vel alliciendi vim habent. Internos animi motus, amoris præſertim iræque impetus, cohibet adducto freno rationis imperantis; ne præter Honeſti limites decurrant, quod de Armida Rinaldus queritur apud Taſs. c.16.

e trapaſſaſte i modi,
Or gl' amor troppo eſercitando, or gl' odj.

Ob eandem cauſam Laura Petrarcham accuſat.

Ne mai in tuo amor richieſi altro che modo.

Quod alibi idem Poeta ſincerè fatetur adverſus ſe ipſum.

Quella, ch' amare, e ſofferir n' inſegna,
E vuol, che 'l gran deſio l'acceſa ſpene
Ragion, vergogna, e riverenza affrene,
Del noſtro ardir fra ſe ſteſſa ſi ſdegna.

Vim amoris inſanam ad irreparabile exitium mortales rapere ſatis diſcimus ex ſolo bello Trojano. Rapta per proditionem nefariam Helena coegit univerſos Græcorum Principes in Aulide conjurare de evertendo Ilio. Peſtilentia ab Appolline in exercitum immiſſa, negatam patri Chryſeida luerat Agamennon; qui tamen amoris impotens erepta Achilli abductaque Briſeide, hujus implacabile diſſidium iramque commovit; ef-

effecitque ut poſt ejus diſceſſum a caſtris in plures annos obſidio traheretur, nullum facile exitum habitura, niſi magnanimum bellatorem ad reſumenda arma Patrocli obitus revocaſſet. Odii acerbitatem & virus æque prodit bellum Thebanum, ac Troicum immoderati amoris dementiam: ut plane ſcitum Poematis ſui initium fecerit Statius.

Fraternas acies, alternaque regna profanis
Decertata odiis &c,

Dum Eteocles regnum Polynici detrectat reddere, ea jecit odiorum ſemina, quæ non tot fœderatorum Principum armis, tot cruentiſſimis præliis, tot illuſtrium bellatorum cædibus, ſed nec utriuſque Fratris ferali certamine, mutuis vulneribus obtruncati, ſanguine extingui potuerunt. Injecta rogo arſura cadavera, quaſi contactum horreſcerent, diſtrahi, diſſilire, refugere viſa. Flammæ ipſæ, & ſigna flagrantia abiere in diverſum, tamquam ſuperſtite in ipſis rabie pugnatura, & partium ſtudio tenerentur. Statius l. 12.

primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, & novus advena buſtis
Pellitur: exundant diviſo vertice flammæ,
Alternoſque apices abrupta luce coruſcant.

Et paulo infra;

ipſæ etiam commoto pondere paulum
Seceſſere trabes.

Et

Et iterum:

cerniſque ut flamma recedat,
Concurratque tamen? vivunt odia improba, vivunt.

Sed cave exiſtimes intra amoris dumtaxat odiique compeſcendi fines Moderationem conſiſtere. Quidquid pravarum affectionum in humano pectore, ut in relicto incultoque fruticeto, malam ſementem facit, illa reſcindit & amputat; honorum, divitiarum, imperii cupiditatem intra rationis gyrum coarctat: ut merito illam Euripides in Medea pulcherrimum donum deorum; Menander virtutum promptuarium nominaverit. Regnandi inprimis cupiditati frenos inicit, quæ felicium pediſſequa una omnium potentiſſima, bella ciet, & arma circumfert; eoque ardore incitata illorum pectora, tamquam in Medeæ palla, inardeſcunt. Senec. Med.

Alit unda flammas; quoque prohibetur magis,
Magis ardet ignis.

En tibi in Juvenali. Sat. 10. ejuſmodi flammis incenſi pectoris in Alexandro prototypon.

Eſtuat infelix anguſto limite mundi,
Ut Gyaræ clauſus ſcopulis, parvaque Serypho.

Has auras in ejus pectoris fornace exuſcitabat ventoſus ille follis, de quo Pacatus: *Parandi rabiem parta irritabant*. Ad hæc incendia reſtinguenda non uno ex fonte Moderatio rivos adducit. Et primum ex ipſa regni

conditione. Nihil ad ſpeciem ea voce ſplendidius, jucundius nihil. Verum ſi phaleras in cute ſumma effulgentes abſtuleris, & intimos ſinus excutias, capiet tecum Petrarcha exclamandi impetus:

Ahi poco mel, molto aloè con fele:

Illudque ex eodem adjicere poſſis, ſed adverſa uſurpatione:

Mille piacer non vagliono un tormento.

In re, de qua loquimur, triſti tragicaque, audienda eſt Jocaſta apud Senec. Troad.

Quicumque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit Deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit,
Me videat, & te, Troja.

Idem brevius & vibratius Theb.

pœnas, & quidem ſolvet graves,
Regnabit.

Inhibenda porrò furens imperandi libido Sapientum monitis, qui contrahenda vela, funem tendendum non abrumpendum, agrum imbecilliorem eſſe, quam agricolam oportere, prædicant. Appoſite Demaratus Lacedæmonius apud Senec. de Benef. l.6. c.31. Xerxem admonitum fecit, *Immodica numquam regi poſſe; nec diu durare quicquid regi non poteſt*. Adhuc illuſtrius apud Plutarch. in Lacon. effatum Ageſilai, qui, Corinthiis ingenti ſtrage intra mœnia compulſis, cum de oppugnanda & diruenda urbe rogaretur, ſuarum eſſe partium dixit hoſtem repellere; ſed præclariſſimas Græciæ civitates evertere,

re, ſuæ magnanimitatis non eſſe. Periculoſum eſſe prægrande imperium, & difficile eſſe continere, quod capere non poſſis, oſtenderunt Alexandro Darii Legati exemplo navigiorum, quæ ſi modum excedunt, regi non poſſunt. Quibus congruunt illa declamatoris Senecæ Suaſor. 1. *Non procedit ultra ſpatia ſua cœlum: maria intra terminos ſuos agitantur*. In hanc ſententiam Aletes alloquitur bellatores Cruceſignatos in legatione habita ad Gothefridum eorum ducem apud Taſſum. c. 1.

Ne voi, che del periglio e degl'affanni,
E della gloria a lui ſete conſorti,
Il favor di fortuna or tanto inganni,
Che nuove guerre a provocar v'eſorti:
Ma qual nocchier, che da i marini inganni
Ridotti hà i legni a i deſiati porti,
Raccor dovreſte omai le ſparſe vele,
Ne fidarvi di nuovo al mar crudele.

Laborat ſcilicet magnitudine ſua ſumma felicitas, quæ ſibi ſemper oneri eſt, ſæpe periculo. Omnium certe temporum exempla teſtatiſſimum faciunt Vellej dictum: *Neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret; & frequentiſſimum eſſe initium calamitatis, ſecuritatem*. Norunt felicitatem & moderationem eodem contubernio recipere, quibus perſuaſum eſt illud Flori l. 11. c. 17. *Plus eſt provinciam retinere, quam facere*. Inter multa, quæ Auguſtus ſapienter conſtituit, eminet conſilium de imperio intra certos ter-

minos Iſtri & Euphratis coercendo. Majoris eſſe operæ nempe exiſtimabat parta bene conſtituere, quam novis parandis animum advertere. Ovid. de Art. l. 2.

Nec minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri;
Caſus ineſt illic; hic erit artis opus.

Auguſtum æmulatus eſt Antoninus, de quo Dio apud Suidam: *In re militari potius ex juſtitia, quam emolumento gloriam quærens, magis incolumes ſervandos, quam amplificandos imperii fines ſtatuebat.* Satius itaque fuerit inire concordiam cum præſenti fortuna, ne forte, quod multis contigit, dum proferendis finibus ſtudetur, etiam parta amittantur. Huc ſpectant Romæ queſtus ad Jovem apud Claudian. de Bell. Gild.

felicior eſſem
Anguſtis opibus; mallem tolerare Sabinos,
Et Vejos; brevior duxi ſecurius ævum:
Ipſa nocet moles.

Quo recidit ſaluberrima animadverſio Flori l. 3. c. 12. *Neſcio an ſatius fuerit populo Romano Sicilia & Africa contento fuiſſe, aut his etiam ipſis carere dominanti in Italia ſua, quam eo magnitudinis creſcere, ut viribus ſuis conficeretur.* Verum Moderatio ejuſmodi cupiditatibus infrenandis nullam adhibet validiorem machinam, ſerio & aſſidue expenſo anguſtis cancellis circumſcripto ambitu vitæ mortalis. Nego ullum imperium, quod in leviſſimi momenti poteſtate eſt, magnum dici

diciʼpoſſe. Horatius l. 1. Od. 4.

Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat incboare
longam.

Non adjicio, nam innumera ſuppetunt, exempla & teſtimonia ex Divinis paginis, vel exedris Philoſophorum. Satis habeas monitum principis Poetarum Italicorum.

O ciechi, il tanto affaticar che giova?
Tutti tornate alla gran madre anticha,
E'l nôme voſtro appena ſi ritrova.

Idem alibi:

Quanti fur chiari tra Peneo ed Hebro,
Che ſon venuti, o verràn toſto meno,
Quanti in ſul Xanto, e quanti in val di
Tebro?
Un dubio verno, un inſtabil ſereno
E voſtra fama, e poca nebbia il rompe,
E gran tempo a gran nomi è gran veneno.
Paſſan voſtri trionfi e voſtre pompe,
Paſſan le ſignorie, paſſano i regni;
Ogni coſa mortal tempo interrompe.

Ubi cum Tullio, Plutarcho, & aliis diligenter animadvertendum eſt, ſi quidquam longævitate fruitur, id eſſe, quod eſt honeſte partum, & moderate retentum. Theopompus cum ab uxore objurgaretur, quoniam anguſtius, quam accepiſſet, regnum filiis relinqueret; Imo vero majus, inquit, quia diuturnius. Sed hæc ad ſummos principes, duceſque, & ad immodicam dominationem compeſcendam faciunt. Latior apud privatos quoſque exercendæ Modeſtiæ campus & oppor-

opportunitas. Eam laudem in ducibus raram, militibus ignotam, ſed utriſque impendio neceſſariam ajebat Julius Cæſar. Cedro & gemma meliore notandum Pelopidæ dictum, apud quem cum delatus eſſet miles, quod ipſum in contubernio conviciatus eſſet: At Ego, reſpondit, hunc militem ſtrenue pugnantem vidi, convicantem non audivi; & auctius expectatione pœnæ laudatum dimiſit. Fabius Maximus, peritiæ militaris laudem, qua ſupra modum eminuit, moderatione animi ſuperavit. Cum enim de filio Conſularibus faſcibus exornando in Comitiis ageretur, commemorans ea dignitate perfunctos majores ſuos, ſe vero quinquies Conſulem ſalutatum, rogavit ejus honoris vacationem in Gente Fabia, ne ſummum Imperium in una familia continuaretur. A tam eximii pudoris viro Annibalem vinci, etiam bellica omni ceſſante laude, pudere non potuit. Ingens procul dubio Fabii commendatio Conſulari dignitate orbato filio; ſed adhuc major C. Claudii Neronis gloria, qui cum ſibi & Livio Salinatori, devicto Aſdrubale, triumphus eſſet decretus, nihilominus, propterea quod quo die pugnatum erat, Livii auſpicium fuiſſet, hunc ſolum quadrigis triumphantem, & militibus ſtipatum equo ipſe invectus aſſociare voluit. Civitas utrumque plauſu hilari ob armorum felicitatem, Neronem modeſtiæ cauſa benevolentia inſuper complexa eſt. Ha-

Hactenus Veterum qua exemplis, quà teſtimoniis imponendum eſſe animis modum contendimus. Idem licebit addiſcere præceptrice Natura, cum Horatius Serm. l.1.1. quendam eſſe in rebus modum agnoverit.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Inſpiciamus ſpatia terrarum. Partiri profecto terras Natura viſa eſt, appoſitis per certa intervalla quaſi ad conſiſtendum limitibus. Neque enim temere caſuque interjectis illas amnibus, catenatis montium jugis, interfluente pelago diſſociavit, ac prope diviſit in partes; nativis inſuper clauſtris præſeptas & communitas. Viſa plane eſt docere nos voluiſſe, ut terra ipſa quam colimus ad modum ſervandum, certoſque cuſtodiendos terminos nos erudiret. Oculos nunc menteſque referamus ad cœli immenſitatem lucentibus globis diſſeminatam. Quam affabre renitentia illa ſigna ordinate diſpoſita, aut ſuos defixa fines tuentur immotis veſtigiis, aut certo curſu labentia, ne latum quidem ungem ex orbita præſcripta deflectunt; motuſque a Summo Conditore ſemel impreſſos, ſtabili in ſingula momenta vertigine, ſequuntur atque perpetuant. Dantes Parad. c. 2.

Gl'altri giron per varie differenze
Le diſtinzion che dentro da ſe hanno
Diſpongon a lor fine e lor ſemenze.
Queſti organi del Mondo così vanno,

Come tu vedi omai di grado in grado ;
Che di sù prendon , e di ſotto ſanno .

Idem in univerſum Parad. c. 1.

le coſe tutte quante
Hanno ordine tra loro , e queſto è forma
Che l'univerſo a Dio fà ſomigliante .
Qui veggion l'alte creature l'orma
Dell'eterno valor , il quale è fine ,
Al quale è fatta la toccata norma .
Nell'ordine , ch'io dico ſono accline
Tutte nature per diverſe ſorti ,
Piu al principio loro e men vicine :
Onde ſi muovon per diverſi porti
Per lo gran mar dell'Eſſer , e ciaſcuna
Con iſtinto a lei dato che la porti .

Æquabilem hanc rerum diſtributionem & ordinem , ut ex fabulis etiam proficiamus , unius furioſi capitis ambitio immoderata diſſolvit . Phaeton is fuit , qui Solis currum auſus conſcendere, poſt diſturbatos incendio terrarum limites , ipſa etiam ſigna cæleſtia diſterminavit . Ovidius Metam. l. 2.

Tum primum radiis gelidi caluere Triones ,
Et vetito fruſtra tentarunt æquore tingi ;
Quæque polo poſita eſt glaciali proxima Serpens ,
Frigore pigra prius , nec formidabilis ulli ,
Incaluit , ſumpſitque novas fervoribus iras :
Te quoque turbatum memorant fugiſſe , Boote ,
Quamvis tardus eras , & te tua plauſtra tenebant .

Cœlo

Cœlo proinde duçe & auſpice, magiſtraque parente terra, aſſequi licet quanti ſit habenda vis affectuum moderatrix, præſertim in exercitatione bellica, quæ ad honores, opes, & dominationem proferendam una omnium vehementiſſime ſolet impellere. Ad ultimum virtus ipſa, atque ſapientia, quæ præſtantiſſima ſunt animorum honeſtamenta, ſi modo careant, evileſcunt. Cognitum id ab Horatio philoſophante Epiſt. l. 1. 6.

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Vltra quam ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.

Credas Flaccum ſalubre dictum hauſiſſe a ſacris Literis: Eccleſiaſtes C. 7. *Noli eſſe juſtus multum, neque plus ſapiens, quam neceſſe eſt.* S. Paulus ad Rom. c. 12. *Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* De moderatione ſervanda in progreſſu militari, in populatione, præda, & victoria, Vide Tit. *Agmen, Præda, Populatio, Victoria.*

MUNERARIUS. Qui exhibet curatque ſpectacula publica: Ita dictus a muneribus, quæ victoribus tradebantur. Svet. in Domit. *Thracem Mirmilloni parem, Munerario imparem dixerat.*

N

NEco, as, & Nex, cis; Vide *Inernecinus, a, um.*

NERVII. Legionis Palatinæ nomen. Suberat in

in Orientali imperio Magiſtro militum in præſenti. Nervios Scythiæ populos recenſet Ammianus l. 31. Sed in hanc legionem adlecti, procul dubio ſunt Galliæ Belgicæ populi. Atrebatibus proximi ad Scaldem fluvium agentes, noti olim præſtantia fortitudinis, de quibus Cæſar non ſemel meminit. Hujus legionis Symbola vide apud Panciról. Comment. Imp. Or. c. 38.

NOVACULA, æ. Culter raſorius a novando dictus: Nam Veteres novare barbam dicebant, quod nos radere, vel lævigare. Uſurpavit pro cultro Columella l. ult. c. 45. *Raporum ſummam cutem novacula decerpito*. Quæ agris colendis arma deſerviunt, in re ſubita & tumultuaria etiam militia recipit.

P

PERFECTISSIMUS. Vide *Equites Quinto & Nono Dalmatæ*.

PERPOPULOR, aris. Totum vaſto. Livius. l. 22. *Annibal emiſſus e manibus perpopuletur* (Italiam.)

PERSEVERANTIA. Vide *Conſtantia*.

PLUMBATUS, vel Plumbatum. Inter arma vetita refertur. Statuta Vicent. & Veron.

Vel rangeno, vel aza, vel plumbato.

Haſtæ genus indicari ſuſpicor. Aliud certe Plumbatum, aliud Plumbata, de qua ſuo in loco.

POLYANDRION. Fuit apud Græcos ſepulchrum com-

commune, cujus generis multa excitata leguntur apud ejus gentis Hiſtoricos. Seligo poſitum trecentis Lacedæmoniis, qui conciderunt ad Thermopylas, poſt retardatum inſigni Conſtantia Perſarum exercitum. Strabo l. 11. *Obſtitit loci opportunitate tot Perſarum millibus, donec commilitones conciderunt. Extat nunc in commune eorum ſepulchrum Polyandrion, cum columna inſigni facinore inciſa.*

PROBITAS, pro morum integritate. Adde poſt verſum,

Cum tonat, exanimes ipſo quoque murmure cœli.

Quod in Pharſaliæ campis apud Philippos, hinc Cæſare, illinc Pompeio Magno ducibus, prælium atrox atque ſæviſſimum pugnatum eſt, ſi unum omnium impendio memorabile fuiſſe dixero, mentiri me profecto non ſinet cauſa conflictus, qua poſt homines natos graviorem nullam annales omnium gentium prodideruut. De invadendo terrarum imperio, aut de libertate regnatricis Urbis aſſerenda agebatur, utrolibet eventu ingentes rerum viciſſitudines, regnorum turbamenta, cruentaſque bellorum appendices haud dubie parituro. Commiſſum eſt prælium, confertæ ſunt acies, ad internecionem odio majore quam vi utrinque dimicatum. Cæſariani victores, contrucidatis Pompeii legionibus, fugato duce, ad caſtra redierunt. Quid vero actum in caſtris poſt victo-

victoriam, cujus pretium non ignorarent eſſe orbem terrarum? Credas omnibus lætitiis inceſſiſſe animos, nullo non feſtivæ ſignificationis genere notatum celebratumque poſt hominum memoriam fauſtiſſimum diem, jactatas laureatas haſtas, expanſa vexilla ventis victoriæ gratulantibus; tripudiis, ludis, epulis indultum hilariter; Euge, Io triumphe, non ter, ſed centies millieſque per tabernacula conclamatum. Nihil horum: Imo contraria omnia ſubiicias animo. Mæſtitia demiſſæ frontes, ora metu pallida, gemitu concuſſa pectora, luctus ubique, ſqualor, deſperatio &, quod in funeſtiſſima clade ſolet eſſe, ſilentium. Conſcii nimirum exitiali prælio parentes ab aliis, ab aliis filios, fratres, omnique cognationis vinculo conjunctos fuiſſe mactatos, exhorreſcebant conſcientiis nefarii ſceleris; nec tam amiſſione chariſſimorum pignorum, quam ſui iniquitate flagitii angebantur. Sua quemque crudelitas agitabat, umbræque extinctorum obverſabantur ſingulorum oculis, eoſque altius feriebant, quam in ipſorum pectora ferrum deſcenderat. Singulæ quidem ferales umbræ ſingulos privatim terrore afficiebant; Cæſarem vero circumfuſi obſidebant omnium manes, pœnaſque ab ipſo repoſcebant ſceleſtiſſimi belli, profecto ut redivivus Pompeii exercitus, tot larvis minantibus, quot in acie jacebant cadavera interfectorum, illum ad redintegrandum conflictum,

ctum,

ctum, & ad certamina duriora laceſſere videretur. Lucani. l. 7.

Exigit a meritis triſtes victoria pœnas:
Sibilaque & flammas infert ſopor: umbra perempti
Civis adeſt; ſua quemque premit terroris imago.
Ille ſenum vultus, juvenum videt ille figuras;
Hunc agitant totis fraterna cadavera ſomnis,
Pectore in hoc pater eſt, omnes in Cæſare manes.
Haud alios nondum Scythica purgatus in ara
Eumenidum vidit vultus Pelopeus Oreſtes;
Nec minus attonitos animi ſenſere tumultus,
Cum fureret Pentheus, aut cum deſciſſet Agave.

Adde. Votum Didonis apud Virgil. l.4. An.

Omnibus umbra locis adero; dabis improbe pœnas.

Nec imparis terriculamenti illa apud Horat. Epod. 6.

Nocturnus occurram furor;
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
Quæ vis deorum eſt Manium;
Et inquietis aſſidens præcordiis
Pavore ſomnos auferam.

PROGRESSUS, us, Progrediendi actum hoc vocabulo indicari ſciunt omnes. Aliorſum vocem detorſit Vitruvius l. 5. c. 2. Ubi loquens de aggeribus idoneis ad concludendos portus ob tutam ſtabilemque navium ſtationem, hæc

hæc habet. *Sin autem non naturalem locum neque idoneum ad tuendas ab tempeſtatibus naves habuerimus, ita videtur eſſe faciendum, ut ſi nullum flumen in his locis impedierit, ſed erit ex una parte ſtatio, tunc ex altera parte ſtructuris & aggeribus expediantur progreſſus, & ita confirmandæ portuum concluſiones.* Continuationem aggerum per pulvinos pylis interjectos vocat Progreſſus, parum commodo in id loci ad Latii palatum, ſed rem ſatis exprimente vocabulo. Belgæ perpetuitatem eam cumulorum appellant Diccos, quam vocem conſule. De ejuſmodi fulturis in opere munitorio alibi ſæpe dictum.

PROMOVEO. Adde. Sunt qui arbitrantur, ut refert Pancirolus, Promotos fuiſſe nuncupatos a Fl. Promoto PP. & Magiſtro equitum Theodoſii magni, qui conſulatum geſſerit anno CCCXCI. quique eos inſtituerit, & ſuo primum nomine donaverit. Utcumque eam appellationem meruerit Vexillatio hæc Palatina, certum eſt bellicas dignitates per gradus, & expenſis meritis præcipue diſtribui ſolitas. Hinc querelæ illæ apud Veget. l. 1. c. 3. *Legionum nomen in exercitu manet hodie, ſed per negligentiam ſuperiorum temporum robur infractum eſt, cum virtutis præmia occuparet ambitio, & per gratiam promoveantur milites, qui promoveri conſueverant per laborem.* Idem c. 21. ſervatum tradit orbem quendam promotionum. *Per diverſas cohortes & diverſas ſcholas promoventur milites;*

tes; Ita ut ex prima coborte ad gradum quempiam promotus vadat ad decimam cobortem; & rurſus ab ea, creſcentibus ſtipendiis, cum majore gradu per alias recurrit ad primam.

PROTECTORES. Adde. Hujus generis Protectores domeſtici vacabant a militia foris exercenda, ſolumque armati aderant in Palatio, ſeu domo Principis, ex quo Domeſtici ſunt appellati. *Sunt & alii in Palatio longe præſtantiores, quoniam illis majus ſtipendium ſolvi conſuevit, ac digniore militiæ nomine boneſtantur. Hi Domeſtici & Protectores vocantur, & a cura rerum bellicarum longe abſunt. In Palatio enim conſcribi ſolent, ut ſit ordo, qui tantum Perſonæ operam præſtet. Ex duplici ſcutariorum ſchola eligebantur; incedentem vero Principem armis nitentibus ſtipati ad muri formam tuebantur.* Eleganter eoſdem deſcribit Corippus l. 3.

miratur barbara pubes
Ingreſſus primos, immenſaque atria luſtrans
Ingentes adſtare viros, ſcuta aurea cernunt,
Pilaque ſuſpiciunt alto ſplendentia ferro.

Idem. l. 4.

Incedunt denſæ miſto lictore cobortes;
Hinc armata manus dextram lævamque tuetur
Cæſarei lateris; clypeis pia terga tegebat
Ingens excubitus, Protectorumque phalanges
Fulgebant rutilo pilis ſplendentibus auro.

Protectores domeſtici parebant Comiti domeſticorum equitum & domeſticorum peditum

Digitized by Google

tum appellato. Poſt eum Comitem prior dignitate Tribunus vocabatur; huic proximus Primicerius, ſequens Secundocerius, qui cum aliis ſeptem dignioribus majora ſtipendia & cognomentum Clariſſimi obtinebant. Qui ſequebantur quinquaginta, clariores laude pietatis & roboris, tuebantur Sacrum Divini Reparatoris vexillum, eidem deferendo ordinatim ſuccedentes. Eam ob cauſam Præfecti laborum vocantur in Codice. Vide Pancirol. Imper. Or. c.89.

PULVINUS. Præteritis aliis originationibus, quas vide apud Voſſium, & Martinium, a plumis cum Varrone dictum exiſtimo. Proprie lectulus eſt, & etiam cervical lana & tomento fartum. Locum habet in re hortenſi pro terra in cumulos aggeſta: in re nautica pro machina qua naves ad littus adducuntur. Vide Iſidorum l. 9. In mari pro arenarum cumulis, qui ad ſaxi modum dureſcunt, Italis *Banchi*; Virgilius dorſum appellavit. Apud Architectos pulvini ſunt baſes columnarum, & toruli, quibus molliter extantibus aliquid incumbit. In re militari locum habet in deſcriptione machinarum, & re munitoria, ubi ſermo eſt de aggeſtionibus terræ, & eductione aggerum. Item in loriculis; notatque plerumque baſim machinæ, muri, vel aggeris; ac ſæpe ipſos aggeres, præcipue ſi opere tumultuario ſint erecti, pulvinos vocamus.

Q

QUINQUAGENARIUS. Præfectus quinquaginta militibus, Græcis Pentacontarcha. Uſurpatur in Sacris literis Reg.4.c.1. *Miſitque ad eum Quinquagenarium Principem, & quinquaginta qui erant ſub eo.* Villel. Tyrius. l. 2. c. 20. *Centuriones, Quinquagenarii, & numeris militaribus præpoſiti.*

QUINQUERTIUM. Vide *Pentathlum*.

R

RANGENUS, vel Rangenum. Inter arma vetita recenſetur. Stat. Vicet. & Veron. *Vel Rangeno, vel Aza, vel Plumbato*. Haſtæ genus ſuſpicor.

REGENDARIUS. Qui in comitatu Magiſtri militum Orientis dicebantur Scriniarii, nomine Regendariorum audiunt in officio Præfecti Prætorio. Origo nominis a regerendo, quoniam in codicem referrent reſcripta ad libellos. Eſt enim regerere, pro ſubtracto ab uno loco, aliud reponere: atque hinc Regiſtra nominamus codices, in quos referuntur, quæ prius ſcripta vim Authographi habebant; cum Regeſta ſint exemplaria, fidei tamen publicæ authoritatem habentia. Caſſiodorus clarius eos Regerendarios appellat. Sed in Notitia Imperii Regendarii leguntur.

ROSTRA. In Urbis regione Octava templum

H erat

erat ante curiam Hoſtiliam cum pulpito ad conciones habendas adornato roſtris navium Anſiatium. Livius l.8. *Naves Anſiatium partim in navalia Romæ ſubducta, partim incenſæ, e roſtriſque earum ſuggeſtum in foro extructum adornari placuit; Roſtraque id templum appellatum.* De iiſdem Roſtris Plinius l.16. c.4. *Antea Roſtra navium tribunali præfixa foro decus erant, veluti populo Romano corona impoſita: Poſtquam vero Tribunitiis ſeditionibus calcari ac pollui cepere, poſtquam vires ex publico in privatum magis ſinguliſque civium quæri & Sacroſancta omnia profana fecere, tum a pedibus eorum ſubiere in capita civium Roſtra.* Quibus verbis indicat tranſitum Roſtrorum, concionatorum pedibus prius adſtantium, quaſi ad eorum pedum ornamentum, ad capita Romanorum, nempe ad coronas Roſtratas. Vide *Roſtratæ coronæ*.

S

SAGITTA barbuta. De hac ſic Ugutio. *Catapulta vas eſt, ut dicitur, vel potius ſagitta cum ferro bipenni, quam Sagittam barbutam vocant.*

SAGITTARII Juniores. Una extitit hoc nominè ex Vexillationibus Palatinis. Equites fuiſſe conſtat, quos Ammianus l.16. & 18. commemorat tamquam ingenuos Barbaros militaſſe, armorum viriumque fortitudine præſtantes. Thoracati incedebant, producti-

ctis ad genua tibialibus; latera enſe & pharetra muniti arcum geſtabant, quo ſagittis jaculandis peritiſſime utebantur. Cæſar Hippotoxotas nominat. Vide apud nos eum titulum.

SALII. Recenſentur inter Auxilia Palatina utriuſque Imperii, ſub Magiſtro militum Præſentali. Sunt hujus appellationis populi in Sarmatia & Liguria. Verum qui inter Auxilia hic numerantur, contracti ſunt ex Germania, & propius ex provincia Franconiæ, dictique Salii a Sala flumine. De iis Ammian. l. 17. *Petit omnium primos Francos, quos conſuetudo Salios appellavit, auſos olim in Romano ſolo apud Toxandriam habitacula ſibi figere prælicenter.*

SALUTATIONES caſtrenſes. Adde. Privatæ ſalutationes denudato fiebant capite, quod videmus moris eſſe apud omnes fere nationes Occidentis; cum contra ſola capitis inclinatione, & admotis ad pectus manibus, agantur plerumque apud Orientales populos, nec detracto turbinato quo, utuntur, lineo, vel laneo velamento. Plutarchus in Problem. quærit, cur Deos adorantes obnubere ſolerent capita, contra vero eadem aperirent, inter ſe, vel Principes aut Duces ſalutantes. Cauſam reddit memoratu digniſſimam, propterea quod vererentur, ne inter precandum, vel conſulendum Deos, ſi excideret vox aliqua ominoſa, vel inauſpicata, audire illam poſſent; ideoque non ſo-

ſolum infra aures adducebant capitum tegmina, ſed lamellas æneas iiſdem appendebant, quarum tinnitu perſonarent. E contrario qui potentiores ſalutabant, nudabant capita, non tam obſequii gratia, quam ne eoſdem Diis pares facere viderentur. Morem ſalutantium excuſſo prius ſinu, nequid armorum per inſidias celaretur, in caſtris nequaquam fuiſſe retentum exiſtimo. Quin potius ad militare decus pertinere videbatur, ſi omnimode armati ad ſupremos magiſtratus accederent ſalutatum. Ea conſuetudo in Urbe obſervata a Principibus, qui adiri ſe non patiebantur, niſi a ſcrutatoribus prætentato ſinu. Suet. in Claud. 35. *Salutantibus ſcrutatores ſemper appoſuit, & quidem omnibus, & acerbiſſimos*. Herodian. l. 3. *Neque temere quiſquam ad illum introducebatur, niſi prius depoſito militari gladio, ſinuque excuſſo*. Hinc admiſſionum officia, & magiſtri, vel miniſtri admiſſionales, de quibus Ammianus l. 15. & Seneca l. 1. de Element. ac ſepe alibi. Rejectos tamen illos legimus ab Alexandro Severo apud Lampridium: *Salutaretur patente velo, admiſſionalibus remotis*. Sed longe conſpectior in hoc genere humanitas Auguſti apud Suetonium, & Trajani apud Plinium juniorem.

SCUTIGERULUS. Qui ſcutum gerit. Plaut. in Caſin. accomodate ad contemptum & colorem comicum ſcutigerulum dixit pro armigero, ſcutifero, vel ſcutario. Verba ſunt:

Qui,

Qui, malum, homini ſcutigerulo dare lubet?

SECTOR FERRI. Cognomentum comitis Inculiſmenſis . Vide *Duriſſimus* .

SEDITIO . Adde ad finem. Vide etiam apud nos *Diſcordia* , *Factio* .

SIBO , aliis Scibo , onis . Inter genera telorum recenſetur à Gellio l. 10. c. 25. Verba alibi nec ſemel retuli . Quod genus jaculi fuerit , reticetur a Gellio . Mihi procul dubio mendoſa eſt ea lectio .

STADIODROMI . Qui in ſtadio certantes currunt. Plin. l. 34. ſ. 8. *Qui fecit ſtadiodromon Aſtylon.* ubi locum ad decurrendum ſignificat .

STELLATURA . Adde ad finem . Sed quoniam ſtellatura crimen fuit Centurionum & Tribunorum peculiare , qui commeatum , ideſt vacationem per certum tempus a militia vendebant , idcirco non a Stellione potius quam a Græcorum στέλλειν quod eſt *mittere vel dimittere* dici malim Stellaturam. Utraque origo traditur à Salmaſio , alia ad Spartiani Adrianum , alia ad ejuſdem Spartiani Peſcennium . Vide *Beneficiarii* .

STRATEGIA . Adde . Video Strategiæ nomine non Præfecturam ſolum, ſed regionis diviſæ partes deſignari commode poſſe . Obſervatum id ab Alex l.2. c.27. Ubi partes Imperii Romani ſic diſtribuit, ut Cappadocia in Præturas , vel Satrapæas, Armenia in Gubernationes , Paphlagonia in Tetrarchias , aliæ porro regiones in appellationes alias ſecernantur ; inter quas Thraciam cum Plinio

in Strategias diviſam recenſet. Ad eandem formam Regni Gallici præſens diſtributio eſt in Gubernationes, qua voce non Præfecturæ ſolum, ſed Provinciæ ipſæ diviſæ nominantur. Hæc ſatis dilucida. Sed infuſcat notionem Strategiæ Vitruvius l. 5. c. 9. ubi de Theatri porticibus ſermonem habens hæc habet: *Ariobarzanes reſtituit Smyrnæ Strategæum*. Locum hunc alii aliter interpretantur. Ego, quòd ſciam Smyrnæos habuiſſe Prætores, quos Strategos nuncupabant (pleni ſunt enim Strategorum horum nominibus Smyrnæorum nummi Romanis Imperatoribus cuſi (exiſtimo, Strategæum vocari a Vitruvio, partem theatri, in qua ſedebant Strategi: quemadmodum & in theatris noſtris eſt odeum, ſeu inſignior aliquis locus Magiſtratibus aſſignatus.

SUBCINGULUM. Baltheus, Authore Feſto. Plaut. Menech. *Ab Hippolyta ſubcingulum Hercules æque magno neutiquam abſtulit periculo*.

SUDOR. Laborem exſudare dicimus cum Livio, & aliis, pro *laborem ſufferre ſudando*. Audacius Capitolinus in Maxim. Sudorem vocavit Prælium non intermiſſum. *Tunc Maximus ſedecim lixas unò ſudore devicit*. Idem alibi. *More ſolito ſeptem fortiſſimos uno ſudore vicit*. Militarem hanc hujus vocis uſurpationem nulli, quod ſciam, Lexicographi adverterunt.

SUPERBIA. Inordinatus eſt amor propriæ excellen-

lentiæ, ſe efferens ultra præſcriptos termi-
nos a ſupremo bonorum Largitore. Hinc Superbi adverſus Deum injurioſi, hominibus vero, ſupra quos ſe extollunt, deſpicabiles ſunt. Claudian. 4. Honor.

Inquinat egregios adjuncta ſuperbia mores.

Ut autem in latiſſimo argumento intra cancellos tractationis bellicæ me contineam, Onoſandrum, primarium militiæ Magiſtrum ſic præcipientem accipe Strateg.c.ult. *Fine bellicis negociis impoſito, caveat Imperator, ne ob res ſecundas elatior videatur, ſed placidus benignuſque ſit, neque faſtum minaci ac truculento vultu præſeferat, ſed civilem atque amabilem benevolentiam omnibus comiter exhibeat: Illa enim odium gignunt, iſta amorem conciliant.* Congruit huic præcepto Archidami reſponſio, qui, poſt pugnam Chæroneam cum acerbiores litteras accepiſſet a Philippo Rege Macedonum, ſic illis reſpondit teſte Plutar. in Lacon. *Metire umbram tui corporis & nihilo longiorem illam invenies.* Minaces, quas dixi, litteras non opinor ex ingenio ſuo Philippum ſcripſiſſe, quem conſtat ab omni elatione abhorruiſſe: Imo hanc ipſam victoriam ad Chæroneam permodeſte tulit, ſi credimus Juſtino l. 9: *Ita vicit, ut victorem nemo ſentiret; ſed nec Regem ſe Græciæ, ſed Ducem appellari juſſit; atque ita inter tacitam lætitiam, & dolorem hoſtium temperavit, ut neque apud ſuos exultaſſe, neque apud victos inſultaſſe videretur.*

Viſus eſt obtemperare axiomati, de quo Cicero Offic. 1. *Recte præcipere videntur, qui monent, ut quanto ſuperiores ſumus, tanto nos ſubmiſſiores geramus*. Idem Rex poſt commemoratam victoriam, ne ventoſo aliquo arrogantiæ æſtu abriperetur, famulum conduxit, qui ſibi in aurem quotidie proclamaret: *Philippe homo es*. Quem haud dubie imitatus Trajanus, de quo Plinius in Paneg. *Nec minus hominem ſe quam hominibus præeſſe meminit*. Tam humanæ moderatæque indolis Principes Duceſque quam longe abſunt a ſuperciliofis illis, qui inflata cervice, fortuna ſua indigniſſimi, poſt aliquod victoriæ decus Deos ſe Joviſque vel Solis Filios vocari non erubuerunt; ut miſſos hic faciam ex Hiſtoria Sacra Nembrotos, Nabuchos, Antiochos, ex promptuario vero Mythologorum Tantalos, Phaetontes, Salmoneos, & Phlegræ filios. His accenſeo Xerxem Perſarum Regem, acerbiſſimæ naturæ portentum, cum flagellis ventos cædere, mare vinculis inhibere aggrederetur. Juven. Sat. 10.

In Corum atque Eurum ſolitus ſævire flagellis
Barbarus, Æolio numquam hoc in carcere paſſos,
Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigæum.

Ea tabe contaminatis Ducibus ſpes omnis cumprimis decidit, tum parandæ apud milites

lites benevolentiæ, tum ſanciendæ authoritatis. Quid enim a fide, & ſtrenuitate exercitus expectare poſſit Imperator ſuorum contemptor, & ſua tantum fiducia ferox, cujus imaginem ex Lucullo deſcripſit Plutarchus per hæc verba. *Impotens conciliandis ſibi animis vulgi militaris; eum blandimenta duceret dedecorum ſemina, & labem authoritatis; etiam ſibi pares ſuperbe deſpiciens, nihilique præ ſe faciens.* Non hic longam ſeriem Cæſarum Ducumque inſtruam, quos a Solio & Magiſtratu deturbavit faſtu immodico incitata rabies manipularium, indigne ferentium contemptum, torvitatem, truculentiam, laborum ſanguiniſque pretia haberi. Nihil memoriæ Veterum frequentius addocent, quam lictores, ſatellites, cohortes prætorias, fruſtra eſſe, ubi deſpicientia & acerbitas imperii animos efferant, & ad extrema rapiunt inflammantque. Claudianus de Conſul. Honor.

Non ſic excubiæ, nec circumſtantia pila,
Quam tutatur amor.

Ea militum malevolentia plerumque fit, ut conviciis & maledictis proſciſſi Duces, gnarique ſe odio publico palam obnoxios, dies agitent ſuſpicionibus formidoloſos; ut plane ignores, timeantur ne magis, an timeant. Hinc deſerta caſtra, ſigna rareſcentia, & crebra ad hoſtes transfugia. Obſervatum id in Perdicca a Juſtino l.13. *Sed Perdiccæ plus odium arrogantiæ, quam vires hoſtium nocebant:*

quam

quam exoſi etiam Socii ad Antipatrum gregatim profugiebant. Juſtino concinit Thucydides l. 1. ubi hæc habet de Duce Pauſania. *Præterea ſe aditu difficilem præbebat, & iracundia adeo gravi in omnes pariter utebatur; ut Socii ad Athenienſium partes tranſirent*. Sed præcipuum in modum faſtidio eſt, abducitque animos perpetua illa ſuperbiæ contubernalis jactantia, qua nullum ingenuis auribus moroſius acroama. Id Tiberius vel maxime indignatus in Silio, de quo Tacit. Ann. l. 4. *Plerique auctam offenſionem ipſius intemperantia, immodice jactantis ſuum militem in obſequio duraſſe, cum alii ad ſeditiones prolaberentur; neque manſurum Tiberio Imperium, ſi iis quoque legionibus cupido novandi fuiſſet*. Adde quæ idem Hiſtoricus habet l. 4. Hiſt. de Antonio. *Nec ipſe deerat arrogantia vocare offenſas, nimius commemorandis quæ meruiſſet: alios ut imbelles, Cæcinam ut captivum ac dedititium increpat: Unde paulatim levior, viliorque haberi*. An putas parum moleſte viſum perlectumque a Romanis lemma, quod in triumpho Pontico inſcriptum ferculo prætulit Cæſar, *Veni, Vidi, Vici?* Modeſtius certe Achæi, de quibus Polybius l. 11. *Cum multis maximiſque in rebus Socii Romanorum fuiſſent, nunquam ſibi quidquam ex rebus geſtis adſcripſere*. Nullo apertius titulo deteſtabilis eſt ſuperbia, quam quoniam proſperitatis ſolet eſſe pediſſequa, quæ ſummi Numinis donum eſt; cui pro referenda

gra-

gratia oblivio & contemptus rependitur. Claud.2. Stilic.

vitium rebus ſolemne ſecundis,
Virtutumque ingrata comes.

Ovid.2. de Art.

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis;
Nec facile eſt æqua commoda mente pati.

Merito Pyrrhus Agamemnonem exprobrat apud Senec. Troad.

O tumide, rerum dum ſecundarum ſtatus
Extollit animos.

Brevi ſermone ſed gravi Tacit. Annal. 11; *Secunda fortuna ad ſuperbiam prolabimur.* Idem Hiſt. lib.2. *Rebus ſecundis etiam egregii Duces inſoleſcunt.* Verum quo fortunatior contigit rerum curſus, eo minus illi fidendum eſt, cum ſit incertum quid veſper ſerus ferat, imo cum ſit compertiſſimum nihil proximius eſſe lapſui, quam quod eſt ſummum. Magnificè ſe Turnus efferebat Pallante interfecto, & ejus baltheo ſublato; ſed Virgilius l.10. poſt enarratum conflictum commode admonet,

Neſcia mens hominum fati ſortiſque futuræ,
Et ſervare modum rebus ſublata ſecundis.
Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum,
Intactum Pallanta, & cum ſpolia iſta diemque
Oderit.

Putes ſummi Vatis admonitione profeciſſe Agamemnonem poſt Trojæ excidium victo-

ri

ri ſibi ſuiſque infortunia reformidantis; Seneca Troad.

Troja nos tumidos facit
Nimium ac feroces, ſtamus hoc, Danai, loco,
Unde illa cecidit: fateor aliquando impotens
Regno ac ſuperbus altius mentem tuli;
Sed fregit illos ſpiritus hæc, quæ dare
Potuiſſet aliis cauſa, fortunæ favor:
Tu me ſuperbum, Priame, tu timidum facis.

Nimirum quod idem Seneca ibidem notavit,

Sequitur ſuperbas ultor a tergo Deus.

Neque enim quidquam eſt aliud ſuperbire in magna fortuna, quam divina beneficia quaſi gladium in Authorem convertere. Apage rabie efferatos canes, qui blandientem manum morſibus impetunt. Premantur aſpidum colla, quibus ros cœleſte, ſuccique florum in virus abeunt. Sacras profanaſque ætatum omnium expende literas, nationum omnium faſtos interroga: nullâ frequentius exempla offenderis, quam Divina virga dejecta faſtuoſæ ſuperbiæ monſtra, quæ proſperitatem ſuam non unde venerit, ſed quo ultra poſſet tendere, cogitarunt. Et quoniam me intra clauſtra militaria inſtituti operis ratio concludit, ſatis fuerit geminum indicare bellum, quorum alterum omnium antiquiſſimum fuit; noviſſimum alterum cum excidio & occaſu ſæculi finem inveniet. Intelligis me revocare tibi in memoriam Luciferum, cœleſtium auli-

aulicorum pulcherrimum cum ſociis detruſum in Tartara, ambitione collocandæ ſedis in Aquilone & ſe parem altiſſimo profitendi. Lucifero non erit abſimile hominum portentum illud futurum, homo peccati, filius perditionis, abominatio deſolationis, Antichriſtum dico, quem cædibus immenſoque effuſo ſanguine late graſſantem in majeſtate veniens Dominus Jeſus interficiet Spiritu oris ſui. Atque his quidem abunde manifeſtum eſt, Deo & Cœlitibus nullum ſuperbia injurioſius eſſe flagitium. Eadem tabe notatos hominibus impendio inviſos & execrabiles eſſe conficiam ſolo Populi Romani ſuffragio, qui e ſuis cervicibus dejectum Tarquinium Regem, omni vitiorum cœno coopertum, ut ejus memoriam perpetui dedecoris nota apud Poſteros conſignaret, Superbi appellatione conficere ſatis duxit. Latin. Pacat. ad Theod. *Ipſum illum Tarquinium execratione poſtrema hoc damnaverunt maledicto; & hominem libidine præcipitem, avaritia cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocaverunt Superbum, & putaverunt ſufficere convicium.*

SUPERSTATIONARIUS. Qui præeſt ſtationariis. Occurit apud Optatum Milevit l. 1.

TAI-

T

TAIFALI. Vexillatio Palatina, conflata primum ex gente Septentrionali, quæ, vaſtatis aliis regionibus, a Gothis, Frigiderno duce in Italia domita, diſperſaque per agros, horum culturæ fuit addicta. Obſcæniſſimos eorum mores & pudenda vitia multis proſequitur Ammianus l. 31. Hos poſtea Gratianus ſtipendio conductos aſcivit, Comiteſque ex iiſdem creavit. Equeſtris fuit Vexillatio. Vide Pancirol. Not. Imp. Orient. c. 33.

TEMPLA Honoris & Virtutis. Vovit illa bello Gallico M. Marcellus; ejus filius dedicavit; Veſpaſianus, ut ejus nummi teſtantur, reſtauravit. Contigua erant, præclaro documento, ut non niſi per virtutem ad honores perveniri poſſe intelligeretur. Uno quidem eodemque templo ſtatuerat Marcellus Virtutem & Honorem recipi. Sed impeditus eſt a Collegio Pontificum, propterea quod non liceret duobus Diis dicari templa, niſi certi quidam Dii eſsent, qui ſocietatem inter ſe haberent: hujuſmodi erant Caſtor & Pollux, Appollo & Diana, Venus & Adonis, Cybele & Atys. *Ea Pontificum admonitione factum eſt*, ait Valerius Max. l. 1. c. 1. *Ut Marcellus ſeparatis ædibus Honoris & Virtutis ſimulacra poneret: neque aut Collegio Pontificum authoritas ampliſſimi viri, aut Marcello adjectio impenſæ impedimento fuit,*

fuit, quo minus Religionibus ſuus tenor, ſuaque obſervatio redderetur. De his Ædibus vide Liv. l. 27. & Plutarch. in vita Marcelli. Ponuntur ea templa in prima Urbis regione.

TEMPLUM Herculis Muſarum. Ponitur in prima Urbis regione. Plutarch. in Problem. tradit Romanos aram Herculi Muſiſque comunem ſtatuiſſe, quoniam Hercules Evandrum literas docuerit. Sed aliud facile, de quo loquimur, Templum: hoc Fulvio Nobiliore erectum refert Eumenius Rhetor Orat. de Schol. Inſtit. per hæc verba *Ædem Herculis Muſarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia Cenſoris fecit; Non id modo ſequutus, quod ipſe literis, & ſumma Ennii amicitia duceretur; ſed quod in Græcia cum eſſet Imperator, acceperat Herculem Muſageten eſſe, ideſt comitem ducemque Muſarum. Idemque primus ſigna novem, hoc eſt omnium Camænarum, ex Ambracienſi Oppido tranſlata ſub tutela fortiſſimi Numinis conſecravit; quia mutuis operis & præmiis juvari ornarique deberent, Muſarum quies defenſione Herculis, virtus Herculis voce Muſarum.* Quoniam vero Suetonius in Aug. c. 29. author eſt, Ædem Herculis Muſarum a Marcio Philippo, ejuſdem Auguſti vitrico, exædificatam fuiſſe, neceſſe eſt aut Eumenium erraſſe, aut Marcium ejus Ædis reſtitutorem fuiſſe, non conditorem.

TEMPLUM Jovis Statoris. Locatur in Urbis regione quarta. A Romulo poſitum, & ſic nun-

nuncupatum, quoniam Juppiter Romuli precibus motus ſuos in fugam verſos ſtare feciſſet. De hoc Templo ſcripſit Dionyſius l. 3. & Liv. l. 1. cujus verba retuli in Tit. Templum. 2. Seneca l. 4. de Benef. aliter Statoris originem tradit per hæc verba. *Non quemadmodum Hiſtorici tradiderunt, ex eo quod poſt votum ſuſceptum acies Romanorum fugientium ſtetit, ſed quod ſtant beneficio ejus omnia, Stator ſtabilitorque eſt.* Mihi authoritas Livii & aliorum potior eſt Senecæ acumine, qui cæteroqui non ſemel eventus Hiſtoricos ad ſua dogmata explicanda detorquet, Stoica quadam, imo vero Cynica libertate. Viſuntur Antonini Pii, & Gordiani numiſmata, in quorum tergo nuda effigies armata fulmine viſitur, cum lemmate, *Jovi Statori*.

Templum Martis Ultoris. In ſexta Urbis regione ponitur. De eo Sueton. in Aug. c. 29. *Publica opera plurima extruxit, ex quibus vel præcipua, Forum cum Æde Martis Ultoris, Templum Apollinis &c.* Et infra: *Ædem Marti bello Philippenſi pro ultione paterna ſuſcepto voverat. Sanxit ergo, ut de bellis triumphiſque hic conſuleretur Senatus. Provincias cum Imperio petituri hinc deducerentur; quique victores rediſſent, huc Inſignia triumphorum referrent.* Alterum porro Templum Marti Ultori ab eodem Auguſto poſitum, poſt recepta a Parthis ſigna; quod eſt animadvertendum, quoniam in nummis, qui utroque

inci-

inciſi circumferuntur, diverſa Templi forma conſpicitur. Præter alia templa Marti a Romanis dicata, quæ retuli in Tit. *Mars*, notatam invenio in prima Urbis Regione Ædem Martis, Minervæ, & Tempeſtatis. Dubium tamen relinquitur utrum, tria fuerint Templa, an unum tribus Fanulis vel Sacellis diſtinctum: præſertim cum Ædes aliæ Minervæ dicatæ reperiantur; Tempeſtati vero aliam extruxerit M. Marcellus, ab ea ſervatus, dum Sardiniam & Corſicam navigaret. Ovid.

Te quoque, Tempeſtas, meritam delubra fatentur,
Cum pene eſt Corſis obruta puppis aquis.

TEMPLUM Pacis. In quarta Urbis regione viſebatur. Conditum a Veſpaſiano incredibili magnificentia, ut pote in quod non ſolum Judæorum pretioſiſſima quæque ſpolia, vaſa, & donaria erant illata, verum etiam coactum quidquid alibi ſpectabile & admiratione dignum habebatur. Plin. l. 34. 18. *Atque ex omnibus quæ retuli clariſſima quæque in Urbe jam ſunt dicata a Veſpaſiano Principe in Templo Pacis*. Clarius Joſephus l. 7. *Poſt triumphos Veſpaſianus Paci Templum ædificare decrevit; itaque mira celeritate, & quæ hominum cogitationem ſuperat effectum eſt*. Magna divitiarum largitate uſus, inſuper perfectis picturæ & ſtatuarum operibus id exornavit. Omnia in illud Fanum collecta ac diſpoſita ſunt, quorum viſendorum ſtudio per totum

 Orbem,

Orbem, qui ante nos fuerunt vagabantur. Sed omnium luculentiſſime Herodianus l. 1. opulentiam Templi & ejuſdem incendium Commodo imperante deſcribit. *Cum exiguus terræmotus anteceſſiſſet, ſeu nocturni caſu fulminis, ſive igne aliquo in ipſo terræmotu velut extrito, totum de improviſo Pacis Templum conſumptum incendio eſt: quod unum opus cunctorum tota Urbe maximum fuit atque pulcherrimum. Idem Templum omnium opulentiſſimum, egregieque munitum, multoque ornatum auro & argento; quippe univerſi ſuas illic divitias, quaſi in Theſaurum congerebant: adeoque per noctem debacchans ignis multos ex opulentis egenos reddidit.* Commemoratis Scriptoribus aſſerunt fidem quæ ſuperſunt hujus Templi plena majeſtatis veſtigia.

Terrarii. Proprie qui terram poſſident, fundos ſcilicet vel fæuda: *Vaſſi* aliter & *Vaſſalli* appellati. Charta Philippi de Montefort. *De voluntate militum Terrariorum Patres noſtri præfati &c.*

Thermopylæ. Compacta eſt dictio ex duplici Græcorum voce, quarum altera pylas, ſive portas, altera balneas notat. Livius l. 5. de Bello Macedonico tradit. Thermopylas montem eſſe longiſſimum, qui mediam Græciam, ut Apenninus Italiam, dividit. Sequor potius Strabonem l. 11. qui montem perpetuo jugorum dorſo Græciam ſcindentem OEtham eſſe ſcribit, Thermopylas vero, fauces ſive anguſtias quaſdam natura mu-

munitiſſimas in eodem OEta monte. Pylæ nimirum Græcis ſunt Portæ, quæ a Latinis pro hujuſmodi anguſtiis uſurpantur, ut Portæ Caſpiæ, Mæſiæ, aliæque. Locum hic habent Thermopylæ, non ſolum propter loci ſingularem munitionem; ſed quoniam vix aliter in memoriis innoteſcunt, quam pugna edita & ſtrage trecentorum Lacedæmonum, qui ibi exercitus Perſici Græciam invadentis impetum retardarunt. Ibidem calidarum aquarum balnea, ſive Thermæ, viſuntur, quæ Herculi feruntur dicata.

TIGILLUM Sororium. Poſtremus ille ex tribus Horatiis, qui, ſuperatis Curiatiis, ſororem interfecit ad Portam Capenam, licet facinoris eximii gloria a ſupplicio capitali fuerit abſolutus, expiatus tamen certis ſacrificiis, ſub jugum etiam miſſus eſt. Ejus jugi ligna, ſeu tigilla Romæ aſſervata ſunt, & refecta identidem teſte Livio l. 1. appellatuſque locus, qui in quarta Urbis regione ponitur, Tigillum Sororium. Dionys. *Mos fuit Romanis, quoties hoſtes deditionem faciunt, duobus lignis rectis humi defixis tertium tranſverſum ſuperimponere tum, ut per illud tranſeant hoſtes, cogere. Jugum ea ligna vocant. Locum ubi olim jugum illud fuit erectum, Romani ſacrum habent; viſiturque in via, quæ a Carinis ducit ad Vicum Cyprium, ubi aræ etiam perſtant & adverſis parietibus traſverſum lignum vocatur Tigillum Sororium.*

TIMOR. Adde poſt illa verba, *peſſimus in dubiis*

biis augur timor. Alia, nec levia timoris commoda recenſeo. Timor ab æmulatione hoſtis validi proficiſcens virtutem acuit, & procul deſidiam, tamquam rubiginem, abigit. Plutarch. l. de Capiend. Utilitat. ex Hoſt. *Itaque Naſica, nonnullis putantibus atque affirmantibus, rem Romanam in tuto eſſe ſtatu collocatam, deletis Cartaginienſibus, & in ſervitutem redactis Achæis; Nunc vero, dixit, periculosè res noſtræ ſe habent, qui neque quos metuamus, neque quos revereamur, nobis reliquos fecimus.* Metus infamiæ coercet ingenia, in publicam perniciem facili negotio eruptura adempto freno malevolæ poſteritatis. Diodor. Sicul. l. 1. Biblioth. tradit in more poſitum fuiſſe apud Ægyptios, ut extincti Regis cadaver, funebribus ornamentis publice elatum, ſtatueretur ante ſepulchrum. Tum publice perlecta ſerie rerum ab eodem geſtarum, cuilibet facultas erat accuſandi & redarguendi Principis vitia; quæ ſi inſigniter turpia, & publico ſtatui exitioſa notarentur, ſupremo ſepulturæ honore Regem mulctabant: additque poſtremo hæc verba memoratu digniſſima: *Is timor cogit Ægypti Reges rectè vivere, veritos futuram poſt mortem plebis iram, & odium ſempiternum.* Ad ultimum timor & reverentia majorum natu, aut præſtantium virtute Principum, vim incredibilem obtinet ad cohibendam in præceps ſecus ruituram nequitiam. Si antiquitatis loculos velim excutere, abſque nume-

numero exempla ſuppeterent. Duo tantum profero: alterum Tiberii apud Tacitum l.6. *Egregium vita famaque, quoad privatus, vel in Imperiis ſub Auguſto fuit: occultum ac ſubdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Druſus ſuperfuerant: Idem inter bona malaque mixtus incolumi matre: inteſtabilis ſævitia, ſed obſcuris libidinibus, dum Sejanum dilexit, timuitue: poſtremo in ſcelera ſimul ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore ac metu, ſuo tantum ingenio utebatur.* Alterum Carini apud Vopiſcum, *Ubi patrem fulmine abſumptum, fratrem a ſocero interemptum comperit, majora vitia & ſcelera edidit, quaſi jam liber, ac frenis domeſticæ pietatis ſuorum mortibus abſolutus.* Aurem mihi vellit hic locus, monetque hæc differentem, ut ſuper hominum nequitia & cæcitate acerbe doleam, ad quorum ſæpe vitia compeſcenda ſatis virium terroriſque habent teſtes humani, cum Deum, non modo teſtem & ſpectatorem, verum etiam Judicem & ſcelerum Ultorem, non pertimeſcant. Juvenalis Sat. 3.

Tam facile & pronum eſt ſuperos contemnere teſtes,
Si mortalis idem nemo ſciat.

Exerat proinde iteretque Seneca queſtus ſuos declamatorios, & acerbe inſectetur eorum impudentiam, qui Diis teſtibus peccare non erubeſcunt, erubeſcunt coram Catone.

TORTOR. Adde in fine. Cæterum Tortores baliſtarum eos, qui baliſtas jaculantes tor-

quebant, dixit Ammianus; & meo quidem ſuffragio, apte & eleganter dixit.

Tralaticii milites, qui per gradus ex humiliori in altiorem militiæ gradum aſcendunt. De iis non ſemel meminimus: ſed hoc nomine occurrunt in veteri inſcriptione, quæ aſſervatur in Muſæo Collegii Romani.

Transtigritani. Legio Pſeudo Comitatenſis ſub Magiſtro militum per Orientem, contracta ab iis qui ultra Tigrim Flavium degebant, a quo Legioni nomen. Ammianus. l. 19. *Protectores poſt terga vinctis manibus a Perſis ducebantur, Tranſtigritanis ad unum omnibus contrucidatis.*

V

Vexillatio. Adde Vexillationes Palatinas utriuſque Imperii, per varias Provincias diſperſas, quoniam magno ſunt numero, clariores tantum retulimus ſuis in locis. Reliquas vide digeſtas apud eundem Pancirolum & Valerianum.

Vicomagistri. Urbis diviſionem in regiones, vel vicos, ab Auguſto factam, ſic exponit Suetonius in ejus vita c. 30. *Spatium Vrbis in regiones, vicoſque diviſit; inſtituitque, ut illos annui Magiſtratus ſortito tuerentur: hos magiſtri e plebe cujuſque viciniæ electi.* Quibus eos vicos cuſtodiendi & a latrociniis per noctem præſertim aſſerendi curæ erat, Vicomagiſtri nuncupabantur. Inveniuntur locati

cati tam Romæ quam Conſtantinopoli in prima urbis regione.

VICTORES. Dion legionem in Britannia militantem Victricem vocat: aliæ item in eadem Britannia dictæ Victrices, Græcis Scriptoribus Niceteriæ. Victores ad auxilia pertinent. Victoriæ nomine tres præcipue civitates honeſtantur; alia in Mauritania, alia in Hiſpania, alia demum in Britannia. Ab hac poſtrema Victores appellati. Ammian. l.26. *Agmina duo præcedebant, quibus nomina fuere Jovii atque Victores*. Merebant in Imperio Orientali ſub Magiſtro militum in preſenti.

VINDICES. Locum habent inter Auxilia Palatina ſub Magiſtro militum Præſentali Orientalis Imperii. Quemadmodum defenſores a defendendo, ſic Vindices a vindicando dictos aliqui putant. Alii vocatos opinantur a C. Julio Vindice, qui Præturam primam exercuit in Galliis, de quo Dion: Gallus fuit ex Regia ſtirpe & patre Senatore deſcendens, vir magnus viribus corporis, ac multa præditus providentia, peritus in re militari, & ad omne præclarum facinus audax.

VULCANALE, ſeù Area Vulcani. Forum, ſeù amplum quodcumque ſpatium ad Templum Vulcani, quod Romulus condidit ex decima ſpoliorum hoſtibus adempta; ubi ſatam ferunt ab eodem Romulo loton arborem, quam Plinius l. 16. cult. Ad extremam lon-

gævitatem duraſſe teſtatur authoritate Maſurii per hæc verba. *Altera lotus in Vulcanali, quod Romulus conſtituit ex victoria de decimis, æqueva Urbi intelligitur*. A Rufo & Victore locatur in tertia Urbis regione.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INSERENDA IN INDICEM I.

LEXICI MILITARIS

Servato ordine Capitum, & Alphabeti.

In Caput I.

Bellum Internecinum. *Internecinus, a, um.*

In Caput VI.

Munerarius.
Quiuquertium.

In Caput IX.

Addextro, as.
Addextratio.
Aventura.
Dextro, as.
Educatio.
Hazardi ludus.
Ludus Matutinus.

In Caput XI.

Æmulatio.
Concordia.
Conſtantia.
Moderatio.

In Caput XV.

Armeniaca.
Armigeri Gallicani.

Bata-

Batavi Seniores.
Braccati.
Conſtantiniani.
Cornuti.
Equites Quinto, & Nono Dalmatæ.
Falconarii.
Felices.
Flavia.
Gemina.
Iſauri.
Italica.
Nervii.
Sagittarii Juniores.
Salii.
Taifali.
Tranſtigritani.
Victores.
Vindices.

IN CAPUT XVI.

Megiſtanes.

IN CAPUT XVII.

Apolecti.
Quinquagenarius.
Superſtationarius.

IN CAPUT XX.

Scutigerulus.

IN CAPUT XXI.

Arena.

IN CAPUT XXII.

Camptaula.

INDEX.

IN CAPUT XXVII.

Brochelerium.

IN CAPUT XXVIII.

Aza.
Azcona.
Bortglaria.
Duriſſimus.
Fulmen.
Gaudioſa.
Jocoſa.
Mazara.
Novacula.
Plumbatus.
Rangenus.
Sibo.

IN CAPUT XXIX.

Chelo.
Clitæ.
Echinus.
Hiſtrix.
Manucla.
Pulvinus.
Sagitta Barbuta.

IN CAPUT XLII.

Acropolis.
Angulus.
Communio, is.
Margo foſſæ.
Proceſſus.

IN CAPUT XLIII.

Agonizatorium.

Gi-

Gigantomachia.
Sudor.

IN CAPUT L.

Æmulatio.
Diſcordia.
Everſor.
Superbia.

IN CAPUT LI.

Alcedonia.

IN CAPUT LIV.

Ara.
Columnæ Herculis.
Polyandrion.
Roſtra.
Templa Honoris, & Virtutis.
Templum Herculis Muſarum.
Templum Jovis Statoris.
Templum Martis Ultoris.
Templum Pacis.
Tigillum Sororium.

IN CAPUT LVI.

Deciremis.

IN CAPUT LXI.

Caſa.
Caſtra Miſenatium.
Caſtra Peregrina.
Hexapeta.
Incilia.

IN CAPUT LXVI.

Alectoria.
Aſylum.

Digitized by Google

INSERENDA IN INDICEM II.

LEXICI MILITARIS

Servato ordine Alphabeti.

A

Acropolis. Quid.
Addextro, as.
Æmulatio. Vitioſæ damna, honeſtæ emolumenta. Expeditur locus Plutarchi. Armis ac literis juxta favet. Cavendum ne invidiam pariat.
Ageſilaus. Aliud nobile effatum. *Moderatio*.
Agonizatorium.
Alcedonia. Dies ſerenitatis.
Alectoria. Quæ gemma.
Alexander Magnus. Cane donato quomodo uſus. *Æmulatio*.
Ambitio. Ejus damna iterum expreſſa. *Moderatio*.
Angulus. Uſurpationes variæ.
Apolecti.
Archidamus. Aliud ejus effatum. *Moderatio*.
Arena. Pugnæ locus.
Armeniaca. Quæ legio.
Armigeri Gallicani. Quæ Vexillatio.
Artemon. Notat etiam trochleam in navi.
Aſſaſini. Expenduntur alia de Sene Montano.
Aſylum.

Aven-

Digitized by Google

Aventura.
Aurum coronarium.
Authoritas. Expenduntur cauſæ, cur vim tantam obtineat.
Aza.
Azcona.

B

BAſtagium. Notat etiam curationem onerum.
Batavi Seniores.
Bellum Internecinum.
Beneficiarii. Acceptiones aliæ.
Bortglaria.
Braccati.
Brochelerium.

C

CAduceum. *Diſcordia*.
C. Claudius Nero. *Moderatio*.
Cæſar Julius. Torquetur felici exitu belli civilis. *Probitas*.
Camptaula.
Capaneus. Ejus conſtantia. *Conſtantia*.
Caput. In caput rerum dirigendæ vires. Exempla, & teſtimonia.
Caſa.
Caſtra Miſenatium.
Caſtra Peregrina.
Catadromus. Alia ejus explicatio.

De

De la Cerda Ludovicus. Notatur. *Fulmen*.
Chariſtia. Quæ Feſta.
Chelo.
Clitæ.
Columnæ Herculis. Quæ cenſeri debeant.
Communio, is.
Concordia. *Diſcordia*.
Conſtantia. Ejus laudes. Exempla, & teſtimonia.
Conſtantiniani.
Cornuti.
Cyllarus.
Cynegirus. *Conſtantia*.

D

Deciremis.
Denicales feriæ. *Internecinus, a, um*.
Dextro, as.
Dextratio.
Diſcordia. Ejus damna. Concordiæ laudes. Exempla, & ſymbola. Remedia adverſus diſcordiam. Solonis lex notatur. Deſcriptio Diſcordiæ.
Duriſſimus. Cujus enſis.

E

Echinus.
Educatio.
Elephas. De Elephantis funambulis.
Everſor. Alia acceptio hujus vocis.

Exbaliſto.
Exemplum. Alia in utramque partem teſtimonia.

F

Q. FAbius Maximus. Ejus laudes. *Conſtantia*. *Moderatio*.
Falconarii.
Felices. Quæ militia.
Felicitas. Cohibenda. *Moderatio*.
Flavia. Quotuplex legio.
Fortitudo. Elucet in tolerantia rerum adverſarum.
Fulmen. Etymon. Deſcriptio. Quotuplex. Non ſolius Jovis telum. Terret ſceleſtos. Cauſæ fulminis. Locus, & Miniſtri. Nomina fulminum. Significat etiam fulcrum, vel fulcimentum.
Furiæ. Alia exempla de internis furiis ſceleſtorum.

G

GAudioſa. Cujus enſis.
Gemina. Quæ legio.
Gigantomachia.
Gorgophorus, a, um.

H

HAzardi ludus.
Hercules. A Sociis deſeritur. *Æmulatio*. refellitur fabula de Hiſpania ab Africa ab
eodem

eodem diviſa. *Columnæ Herculis*. Columnæ ab eodem erectæ in freto Gaditano. *ibid.* Anteum ſuperat. *Caput*. Ejus conſtantia. *Conſtantia*.
Hiſtrix.
Homerus. Conſtantiæ typos exhibet, *Conſtantia*.

I

INcilia. Eorum origo.
Injuſtitia. Etiam felix animos torquet. *Probitas*.
Inſtitutio. Expoſitio nominis. Quanti ſit facienda. Exempla & teſtimonia. Ea etiam bruta proficiunt.
Internecinus, a, um. Etymon vocis.
Jocoſa. Cujus enſis.
Iſauri. Qui.
Italica. Quæ legio.

L

LAncearii. Legionis etiam appellatio.
Leonidas. Ejus conſtantia. *Conſtantia*.
Liburnæ. Aliud vocis etymon.
Limitanei milites. Quanta cura Romani limites cuſtodierint. Damna ex neglectis.
Lucanus. Notatur. *Conſtantia*.
Ludus Matutinus. Quid.
Lycurgus. Quomodo oſtenderit vim inſtitutionis. *Inſtitutio*.

M

MAgiſtratus virum oſtendit. Paroemia vulgata. Gravis eſt ſarcina Magiſtratus. Vitia detegit. Quandoque etiam creat. Exempla, & teſtimonia.
Manucla.
Margo foſſæ.
Martenſes. Quæ legio.
Mazara.
Megiſtanes.
Moderatio. Componit pravos animi motus. Exempla. Servanda in rebus proſperis. Cupiditas augendi imperium cohibenda. Exempla & teſtimonia, petita etiam a natura.
Munerarius.

N

NAtura. Moderationem docet. *Moderatio*.
Necromantia. Etymon. Quæ ars. *Internecinus, a, um*.
Nervii. Quæ legio.
Novacula.

P

PElopidas. Ejus præclarè dictum. *Moderatio*.
Perfectiſſimi. Qui.

Per-

Pernicies. Etymon. *Internecinus, a, um.*
Perpopulor, aris.
Philippus Macedoniæ Rex. Ejus moderatio. *Superbia.*
Plumbatus. Quod genus armorum.
Plutarchus. Expenditur ejus axioma de Æmulatione. *Æmulatio.*
Polyandrion.
Pompejus Magnus. Notatur in diſceſſu ab Urbe, Cæſare cum armis approperante. *Caput.*
Proceſſus. Continuatio aggerum.
Promoveo. Qui Promoti. Gradus promotionum.
Protectores. Armati aderant in Palatio Principis.
Pulvinus. Quid in machinis.

Q

Quinquagenarius. Quæ Præfectura.
Quinquertium.

R

Rangenus. Quod genus armorum.
Roſtra. Quid in Urbe.

S

Sagitta Barbuta. Quid.
Sagittarii Juniores. Qui.

Salii. Quæ Vexillatio.
Salutationes Caſtrenſes. Cur inter homines capite nudato ſalutetur; cum tecto capite Antiqui Deum precarentur in templis. Excuſſo prius ſinu admiſſi ad ſalutandum.
Scæva. Centurio Cæſarianus. *Conſtantia*.
Scævola Mutius. *Conſtantia*.
Scutigerulus.
Seleucus. Quomodo monſtraverit vim concordiæ. *Diſcordia*.
Sequeſtri. Quandoque novi. *Diſcordia*.
Sertorius. Quomodo monſtraverit vim concordiæ. *Diſcordia*.
Sibo. Quod genus teli.
Solon. Ejus lex notatur.
Stellatura. Aliud Etymon.
Strategia. Acceptiones aliæ.
Subcingulum.
Sudor. Pro prælio.
Superbia. Mores commaculat. Gignit contemptum. Animos exaſperat. Divinam ultionem laceſſit. Exempla.
Superſtationarius.

T

Taifali. Quæ Vexillatio.
Templa Honoris, & Virtutis.
Templum Herculis Muſarum.
Templum Jovis Statoris.
Templum Martis Ultoris.
Templum Pacis.

Theopompus. Ejus effatum. *Moderatio*.
Thermopylæ. Quid.
Tigillum Sororium.
Timor. Alia ejus commoda accenſentur.
Tralaticii. Qui milites.
Tranſtigritani. Quæ legio.

V

VIcomagiſtri.
Victores. Quæ legio.
Vindices. Auxilia Palatina.
Vulcanale.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA. CORRIGE.

Pag. 11. *verſ.*	18.	, duces	Duces ,
19	27	nec	nec parum
22	5	Baſtagerum	Baſtagarum
	8	Transferendo	Transferenda
26	8	belli ,	belli
31	28	Livio	Livius
52	27	impoſterum	in poſterum
53	19	eam	nam
71	10	jacendi	jaciendi
78	12	, aliquando	aliquanto
	14	HITRIX	HISTRIX
96	21	ſigna	tigna
98	4	tecum	te cum
103	21	ordinate	ordinateque
	24	ungem	unguem
108	14	& ,	, & ,
115	23	quo ,	, quo
124	12	ſuperbas	ſuperbos
	18	cęleſte	cęleſtis


1 1462764

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBL
VR
X

Digitized by Google



Digitized by Google

Exbaliſto.
Exemplum. Alia in utramque partem teſtimonia.

F

Q. FAbius Maximus. Ejus laudes. *Conſtantia*. *Moderatio*.
Falconarii.
Felices. Quæ militia.
Felicitas. Cohibenda. *Moderatio*.
Flavia. Quotuplex legio.
Fortitudo. Elucet in tolerantia rerum adverſarum.
Fulmen. Etymon. Deſcriptio. Quotuplex. Non ſolius Jovis telum. Terret ſceleſtos. Cauſæ fulminis. Locus, & Miniſtri. Nomina fulminum. Significat etiam fulcrum, vel fulcimentum.
Furiæ. Alia exempla de internis furiis ſceleſtorum.

G

GAudioſa. Cujus enſis.
Gemina. Quæ legio.
Gigantomachia.
Gorgophorus, a, um.

H

HAzardi ludus.
Hercules. A Sociis deſeritur. *Æmulatio*. refellitur fabula de Hiſpania ab Africa ab

eodem diviſa. *Columnæ Herculis*. Columnæ ab eodem erectæ in freto Gaditano. *ibid.* Anteum ſuperat. *Caput*. Ejus conſtantia. *Conſtantia*.
Hiſtrix.
Homerus. Conſtantiæ typos exhibet, *Conſtantia*.

I

INcilia. Eorum origo.
Injuſtitia. Etiam felix animos torquet. *Probitas*.
Inſtitutio. Expoſitio nominis. Quanti ſit facienda. Exempla & teſtimonia. Ea etiam bruta proficiunt.
Internecinus, a, um. Etymon vocis.
Jocoſa. Cujus enſis.
Iſauri. Qui.
Italica. Quæ legio.

L

LAncearii. Legionis etiam appellatio.
Leonidas. Ejus conſtantia. *Conſtantia*.
Liburnæ. Aliud vocis etymon.
Limitanei milites. Quanta cura Romani limites cuſtodierint. Damna ex neglectis.
Lucanus. Notatur. *Conſtantia*.
Ludus Matutinus. Quid.
Lycurgus. Quomodo oſtenderit vim inſtitutionis. *Inſtitutio*.

M

MAgiſtratus virum oſtendit. Parœmia vulgata. Gravis eſt ſarcina Magiſtratus. Vitia detegit. Quandoque etiam creat. Exempla, & teſtimonia.
Manucla.
Margo foſſæ.
Martenſes. Quæ legio?
Mazara.
Megiſtanes.
Moderatio. Componit pravos animi motus. Exempla. Servanda in rebus proſperis. Cupiditas augendi imperium cohibenda. Exempla & teſtimonia, petita etiam a natura.
Munerarius.

N

NAtura. Moderationem docet. *Moderatio*.
Necromantia. Etymon. Quæ ars. *Internecinus, a, um*.
Nervii. Quæ legio.
Novacula.

P

PElopidas. Ejus præclarè dictum. *Moderatio*.
Perfectiſſimi. Qui.

Per-

Pernicies. Etymon. *Internecinus, a, um.*
Perpopulor, aris.
Philippus Macedoniæ Rex. Ejus moderatio. *Superbia.*
Plumbatus. Quod genus armorum.
Plutarchus. Expenditur ejus axioma de Æmulatione. *Æmulatio.*
Polyandrion.
Pompejus Magnus. Notatur in diſceſſu ab Urbe, Cæſare cum armis approperante. *Caput.*
Proceſſus. Continuatio aggerum.
Promoveo. Qui Promoti. Gradus promotionum.
Protectores. Armati aderant in Palatio Principis.
Pulvinus. Quid in machinis.

Q.

QUinquagenarius. Quæ Præfectura.
Quinquertium.

R.

RAngenus. Quod genus armorum.
Roſtra. Quid in Urbe.

S.

SAgitta Barbuta. Quid.
Sagittarii Juniores. Qui.

 Sa-

Salii. Quæ Vexillatio.
Salutationes Caſtrenſes. Cur inter homines capite nudato ſalutetur; cum tecto capite Antiqui Deum precarentur in templis. Excuſſo prius ſinu admiſſi ad ſalutandum.
Scæva. Centurio Cæſarianus. *Conſtantia*.
Scævola Mutius. *Conſtantia*.
Scutigerulus.
Seleucus. Quomodo monſtraverit vim concordiæ. *Diſcordia*.
Sequeſtri. Quandoque novi. *Diſcordia*.
Sertorius. Quomodo monſtraverit vim concordiæ. *Diſcordia*.
Sibo. Quod genus teli.
Solon. Ejus lex notatur.
Stellatura. Aliud Etymon.
Strategia. Acceptiones aliæ.
Subcingulum.
Sudor. Pro prælio.
Superbia. Mores commaculat. Gignit contemptum. Animos exaſperat. Divinam ultionem laceſſit. Exempla.
Superſtationarius.

T

Taifali. Quæ Vexillatio.
Templa Honoris, & Virtutis.
Templum Herculis Muſarum.
Templum Jovis Statoris.
Templum Martis Ultoris.
Templum Pacis.

Theopompus. Ejus effatum. *Moderatio*.
Thermopylæ. Quid.
Tigillum Sororium.
Timor. Alia ejus commoda accenſentur.
Tralaticii. Qui milites.
Tranſtigritani. Quæ legio.

V

VIcomagiſtri.
Victores. Quæ legio.
Vindices. Auxilia Palatina.
Vulcanale.

FINIS.

Pag.	verſ.	ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 11.	*verſ.* 18.	, duces	Duces,
19	27	nec	nec parum
21	5	Baſtagerum	Baſtagarum
	8	Transferendo	Transferenda
26	8	belli,	belli
31	28	Livio	Livius
52	27	impoſterum	in poſterum
53	19	eam	nam
71	10	jacendi	jaciendi
78	12	, aliquando	aliquanto
	14	Hitrix	Histrix
96	21	ſigna	tigna
98	4	tecum	te cum
103	21	ordinate	ordinateque
	24	ungem	unguem
108	14	&,	, &,
115	23	quo,	, quo
124	12	ſuperbas	ſuperbos
	18	cęleſte	cęleſtis

A01 1462764

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBL
VI
X